16

17

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE SINGULTU.

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris.

D. JOHANNIS ALBERTI,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS. EJUSDEMQUE FACULTATIS IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici *Consensu*, & *Nobilissimæ* Facultatis MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

MAURITIUS VAN REVERHORST, Haga Batavus,

Ad diem 18. *Octobris* 1748. *hora locoque solitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CORNELIUM HAAK, 1748.

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS
CONSULTISSIMIS GRAVISSIMISQUE
VIRIS
D. THEODORO VAN REVERHORST,
J. U. D. SUPREMI TRIBUNALIS JURIDICI IN INDIIS ORIENTALIBUS ASSESSORI ORDINARIO.

D. JUSTO VAN REVERHORST,

D. CORNELIO VAN REVERHORST,
MEDICINÆ DOCTORI, ET PRACTICO APUD LEYDENSES FELICISSIMO, EJUSDEMQUE URBIS POLIATRO, COLLEGII PHARMACEUTICI, UT ET COLLEGII AD RES OBSTETRICEAS ASSESSORI, STUDIORUM SUORUM FUNDATORI AC MODERATORI JUCUNDISSIMO GRATISSIMO.

D. JOANNI VAN REVERHORST,
MEDICINÆ DOCTORI, HAGÆ COMITIS PRACTICO EXPERTISSIMO PRUDENTISSIMO.

D. HERMANNO VAN REVERHORST,
IN PAGO MYNSHEERENLANT VAN MOERKERKEN VERBI DIVINI MINISTRO FIDELISSIMO FACUNDISSIMO.

D. ADRIANO VAN REVERHORST,
MERCATORI, ET CURANDIS MERCIBUS IN REGNO CHINENSI NOMINE SOCIETATIS INDICÆ ORIENTALIS FOEDERATI BELGII PRÆPOSITO VIGILANTISSIMO INTEGERRIMO.

FRATRIBUS SUIS GERMANIS, OMNI QUO DECET FRATERNO AMORE, OMNIQUE OBSEQUIO AD EXTREMUM VITÆ HALITUM COLENDIS VENERANDIS.

D. CORNELIO SCHREVELIUS,
J. U. D. INCLYTÆ CIVITATIS LUGDUNI IN BATAVIS SENATORI, HOC TEMPORE SCABINORUM PRÆSIDI JUSTISSIMO, GRAVISSIMO.

D. JO-

D. JOANNI SCHREVELIUS, J. U. D.

D. PETRO PLA, J. U. D.

SACRARUM ÆDIUM LUGDUNENSIUM INSPECTORI AC CURATORI, PAGO LEIDERDORPENSI A SECRETIS.

AVUNCULIS SUIS EXOPTATISSIMIS, DILECTISSIMIS, MERITISSIMIS, OMNI OBSERVANTIA COLENDIS VENERANDIS.

D. DANIELI BAART,

J. U. D. CIVITATIS ALCMARIANÆ SENATORI, ANTE EJUSDEM CIVITATIS NOMINE AD ILLUSTRISSIMORUM AC PRÆPOTENTIUM ORDINUM GENERALIUM FOEDERATI BELGII CONSESSUM DELEGATO. DEIN CONSILIO STATUS EORUNDEM ORDINUM ADSCRIPTO. NUNC VERO EJUSDEM CIVITATIS INTER CONSULES SECUNDO, RERUM SOCIETATIS INDIÆ OCCIDENTALIS MODERATORI, BALIVO SUMMOQUE PRÆFECTO CURANDORUM AGGERUM VULGO DE WIERINGER WAART EJUSDEMQUE TERRITORII SUMMI JUDICII ASSESSORI GRAVISSIMO JUSTISSIMO.

D. GUILIELMO MYLIUS,

MEDICINÆ DOCTORI EXPERTISSIMO, NUPER URBIS LUGDUNENSIS PRACTICO CELEBERRIMO, UT ET A NOBILISSIMO AC AMPLISSIMO MAGISTRATU AD CAUSAS MATRIMONIALES CURANDAS DELEGATO.

AVUNCULIS SUIS PER AFFINITATEM JUNCTIS AMANTISSIMIS EXOPTATISSIMIS NUNQUAM NON SUSPICIENDIS.

Hanc Dissertationem Inauguralem Ea qua par est pietate & reverentia

D. D. D.

MAURITIUS VAN REVERHORST.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE SINGULTU.

§. 1.

Singultus, licet notissimus, & satis frequens sit affectus, utpote qui pluribus morbis tanquam symptoma superveniat, imo in sensilioribus subjectis etiam a levissima causa sæpe producatur, sic ut vix ullus homo detur, cui non aliquando contigerit, tamen non æque notus est ratione naturæ suæ ac partis affectæ, & non minus doctorum animos, quam ægrotantium corpora semper cruciavit, sic ut ingenuus, & candidissimus Sydenhamus de eo fateri coactus fuerit, se sibi ipsi, in Singultus causam inquirenti, satisfacere non potuisse. Hæc forte ratio est, cur ejus nec definitionem det, neque causam proximam exponat.

Igitur si tantus vir, qui in Medicina tam intime versatus fuit, id de se ipso fateri cogatur, quanto minus ego, qui nec in scribendo, nec in Medicina multum versatus sum, Lectori Benevolo satisfacere potero.

Fateor, me rem arduam suscepisse, sed quam tamen (adjuvante Summo Numine) pro viribus meis perficere conabor, & si non ea elegantia & perspicuitate, qua deberet, hunc morbum explicem & describam, saltem erit maxima, qua potero, simplicitate, & brevitate.

§. 2.

Antiquis scriptoribus hic morbus non fuit incognitus, ut patet ex Hippocrate & Galeno, qui multis in locis & imprimis Hippocrates in Aphorismis suis multoties de eo memorat, uti patet ex Sect. v. Aphor. 3. ubi dicit. *Sanguine multo effuso, Convulsio aut Singultus superveniens malum.* & iterum Aphor. 39. Sect. vi. *Convulsio fit, aut a repletione, aut ab inanitione, ita quidem etiam Singultus.* & multis aliis locis. Vocatur ab eo λύγξ, λυγμὸς, vel λύγγος: Verum de nominis Etymo parum sollicitus, hic non multum disputabo, uti nec etiam morbus an symptoma sit hæc passio, sed ut clarius intricatissimi hujus affectus natura innotescat, tantum operam dabo.

§. 3.

Causa hujus implicationis & intricationis est subitus, & celerrimus paroxysmi Singultuosi decursus, & quidem tam subitus, ut omnem indaginem fugiat, (nam uno momento fit, & iterum desinit) hinc non tam bene & distincte omnia ejus phænomena observare possumus, quam quidem volumus; hinc natæ controversiæ & lites inter auctores, dum unus huic, alius iterum alii parti Singultum adscribit.

Controversiæ huic inter auctores de sede affecta hujus mali, etiam ansam dedit perversa ratiocinandi methodus plurimorum, qui, ut hunc morbum explicarent, in auxilium vocaverunt causas, Singultum producentes, & ex his argumenta sua desumpserunt, dum si ex effectibus & phænomenis ratiocinati fuissent, clariorem & simpliciorem hujus morbi ideam & accepissent, & dedissent.

§. 4.

Inter omnes (saltem inter plurimos) constat Singultum pertinere ad spasmos vel convulsiones, & esse speciem convulsionis quæ citissime fit, & brevi iterum desinit, sed si quæramus, ubinam sit hæc convulsio & quænam sit pars affecta, de ea non conveniunt auctores inter se; tamen credo, extra dubium esse, Singultum hunc esse convulsionem circa ventriculum & præcipue quidem in superiori vel sinistro ejus orificio, illo scilicet loco, ubi æsophagus per diaphragma transit, hoc magis adhuc inde probari puto, quia si Singultus diu durat, eo loci dolorem sentimus; solet etiam plerumque consequi Singultus illas causas, quæ hunc locum afficiunt, quemadmodum post deglutitum majorem & viscidiorem bolum, post avidiorem potus frigidi haustum, deinde post variolas, & aphthas scilicet statim postquam crustæ aphthosæ & variolosæ deciderunt, si tunica interna æsophagi & ventriculi abrasa est, sic ut facilius irritari possit: Praeterea & vomitus vel incipiens vel desinens etiam conjunctum Singultum habet.

Pati etiam diaphragma in paroxysmo Singultuoso, certum est, nam vulnera & inflammationes diaphragmatis comitatur Singultus, sequitur etiam post crebriorem diaphragmatis motum; & concussionem, quemadmodum post risum effusum, & tussim diuturnam: Præterea pressio diaphragmatis versus inferiora, quemadmodum in suppressa & inhibita respiratione contingit, Singultum supprimit, quæ omnia non obscura videntur indicia affecti diaphragmatis.

Insuper ipsi musculi abdominales agunt quoque in Singultu, quod patet, si quis sub ipso paroxysmo Singultuoso manum abdomini Singultientis imponat, vel ad motum abdominis attendat, nam ubi homo fortiter Singultit, sentiet etiam fortiter concuti hosce musculos.

Et quoniam in Singultu semper etiam sonitus quidam, vel fragor audi-

auditur, concludimus hinc, organa, respirationis actioni dicata, etiam in consensum rapi.

Æsophagus tandem etiam affici videtur, nam qui diu Singultit, incipit etiam vomiturire.

§. 5.

Ex omnibus his igitur constat, Singultum completum, (de hoc enim hic loquor) esse convulsivam actionem omnium supra dictarum partium, sed ad quam partem præcipue & primario hic affectus referendus sit, de eo non conveniunt auctores inter se, & in diversas opiniones abierunt, quarum praecipue sunt tres, de quibus nunc agendum sequitur.

§. 6.

Nonnulli, imprimis veteres, & hi fere omnes, quemadmodum Riverius, Forestus, Sennertus, Chr. a Vega, Horstius, Sanchez, Hartmannus, Regius, Joël, Lusitanus, Varandæus, inter quos Hippocratem & Galenum etiam memorant auctores, existimant, solum ventriculum, imprimis autem orificium sinistrum, & nexum huic æsophagum locum affectum Singultus existere, definientes eum esse conamen, vel nixum aliquem, vel juxta alios motum violentum, ac vehementem ventriculi, quo ventriculus illud alienum & noxium, quod ipsum infestat, vel ei molestum est, elidere ac expellere conatur: ideoque retulerunt inter vitia depravatæ facultatis expultricis ventriculi, sed a vomitu distinxerunt hac differentia, quod in vomitu tantum excuterentur ea, quæ in cavo, vel capacitate interna ventriculi continentur, dum in Singultu (juxta eos) natura conetur expellere id acre, quod in ipsis villis vel tunicis ventriculi impactum hæret, licet alii cum vomitu fere confuderint, eatenus tantum distinguentes, quod conamen naturæ in Singultu sit fortius, ac vehementius, quam in vomitu, nam in priori materiem acrem & peccantem villis & tunicis ventriculi impactum hærere, dum in vomitu tantum in cavo interno ventriculi inclusum est.

§. 7.

Argumenta, quibus hi auctores usi sunt ad probandam suam opinionem imprimis huc redeunt. 1°. quia observabant, consequi Singultum illas causas, quæ maximam partem in ventriculum, vel ejus orificium superius, vel sinistrum, quod cardia audit, agunt, id est omnia illa, quæ ventriculum male afficere possunt, sæpe etiam producere Singultum. E. G. male affecto ventriculo vel cardia a bolo majori deglutito, vel haustu aquæ gelidæ &c. hoc symptoma produci. 2°. quia in inflammatione ventriculi Singultus semper & indivi-

duus comes est. 3°. quia plerumque (inprimis si Singultus paulo fortior est) statim post finitum paroxysmum Singultuosum insignis cardialgia sentitur. 4°. affici inprimis cardiam ajunt, quia ea exactioris sensus est, quam aliæ partes, ob magnum numerum nervorum, quo gaudet præ aliis partibus, sic ut juxta Musitanum ita nervis involvatur acsi ex solis nervis tota constaret. 5°. Singultum plerumque præcedere ciborum & assumptorum noxam, & comitari eum nauseam, vomitum, intestinorum dolorem & gravitatem &c. quæ indicant affectum ventriculum. Hæc sunt præcipua argumenta quibus inducti hi auctores Singultum huic visceri attribuunt.

§. 8.

Verum auctores hi ante memorati nequaquam adhucdum inter se conveniunt de sede proprie affecta hujus morbi, dum nonnulli volunt, totum ventriculum hic pati, quod inter alios Musitano non improbabile videtur, nam hujus mali causa (inquit) totum ventriculum pro sede habere potest. Varandæus adhuc ulterius procedit, dicens, certum esse per Singultum affici totum ventriculum, alii ambo ejus orificia, alii iterum tantum Cardiam & æsophagum; Priores, scilicet qui Singultum totius ventriculi morbum autumant, hic in auxilium vocant auctoritatem Galeni, qui 2. de Sympt. Causs. Cap. 6. & Comm. Aphor. 3. Libr. 7. Singultum non solum orificio sinistro ventriculi, sed toti ventriculo adscribit, dum juxta alios Galenus in hac re sibi ipsi contradicat, nam alio loco, scilicet 3 & 5. De Loc. Affect. soli orificio sinistro adscribit, addens, quia hoc exactioris sensus est, alii autem, iique plures tantum pro sede Singultus habent orificium sinistrum ventriculi, quia hoc multo sensilius est, & per illud via & ingressus datur in ventriculum, itaque omne acre in ventriculum descensurum ad hanc partem primam suam vim exercet, sicque irritando ventriculum ad spasmodicam & convulsivam contractionem cogit.

§. 9.

Alii autem, quorum antesignanus est Felix Platerus, qui jam dudum hanc sententiam amplexus est, quem dein adhuc alii secuti sunt, ut Sylvius, Etmullerus &c. videntes priorem opinionem multis premi difficultatibus, & nequaquam omnibus phænomenis satisfacere, diaphragma in Singultu primario affici statuerunt, æsophagum quidem, & ipsum ventriculum simul concuti, sed non propria convulsione, verum solummodo ex partium vicinitate & connexione, atque hinc ventriculum tantum passive se habere, vel quemadmodum Sylvius dicit ventriculum moveri tantum coacte, quatenus potest inservire diaphragmati; hanc opinionem sequentibus argumentis probare

bare conati ſunt. 1°. quia Singultus ſemper fit inſpirando, ad inſpirationem autem nihil facit ventriculus. 2°. ſi Singultus eſſet ex convulſione ſiniſtri orificii ventriculi, quemadmodum voluere veteres, tunc ſequeretur potius vomitus quam Singultus, nec inde proveniret tam acutus ſonus, nec inde tanta vis, quanta ſentitur in Singultu, manu abdomini impoſita. 3°. Ventriculo convulſo ejusdem regio introrſum contrahitur prout in vomitu experimur, in Singultu autem abdomen extrorſum propullulat, quod a ſepti transverſi contractione pendere putandum eſt. 4°. quod dentur homines, qui omni tempore, quo velint, pro lubitu ſuo Singultire poſſunt, quod inter alios de ſe ipſo teſtatur Sylvius de le Boe Lib. 1. Cap. XXIII. §. 9. id ſane demonſtrat Singultum non eſſe ventriculi actionem, in quo nullus eſt motus voluntarius, ſed tantum authomaticus, hinc potius diaphragmatis, cujus motus noſtræ voluntatis imperio nonnihil ſubjectus eſt. His adde, quod in paraphrenitide, æque ac in inflammatione ventriculi, imo fere in omnibus inflammationibus viſcerum alicujus momenti ſuperveniat Singultus, dein quod ſæpe Singultus finiatur absque remanente cardialgia, & tandem, quantum ad ſenſilitatem cardiæ attineat, notum eſſe omnibus, membranas tenſas ſenſiliores, & facilius irritabiles eſſe quam laxas (quemadmodum eſt cardia, quæ & præterea humore lubrico obducta eſt) quod etiam confirmat Boerhaavius in Aphor. de Cognoſc. & Cur. Morb. in Cap. de Vuln. §. 163.

§. 10.

Tandem alii, inter quos numeratur Fr. Hoffmannus, dein Dolæus, Lanzonius, & alii, videntes, has duas opiniones, ſingulas per ſe ſumptas, nequaquam omnibus phænomenis ſatisfacere, & multas dari cauſas, Singultum producentes, quæ absque omni dubio ex ventriculo male affecto originem ſuam habent, alias, quæ immediate ex diaphragmate oriuntur, media incedentes via, utramque illam opinionem conjunxerunt, atque ſedem Singultus & in ventriculo & in diaphragmate poſuerunt, his utentes argumentis. 1°. ob viciniam utriusque partis, diaphragmatis ſcilicet & cardiæ inter ſe. 2°. quia ventriculus & diaphragma eandem tunicam externam, imo eosdem nervos habent, & æſophagus ubi tranſit per diaphragma ei alligatur, hinc facile unius partis vitia & læſiones ſe propagant in alteram partem. 3°. quia datur mira ſympathia & conſenſus inter duas haſce partes, ſic ut ſi una afficiatur, altera ſtatim in conſenſum rapiatur.

§. 11.

Sed omnes hi auctores potiſſimum argumenta ſua petierunt ex cauſis Singultum producentibus, quarum aliquæ ſingulares agentes in æſophagum & ventriculum, veluti excoriatio æſophagi & ventriculi,

ingesta acria vel venena &c. ilico producunt Singultum, quod videntes auctores, & has causas ad solum ventriculum, nequaquam ad diaphragma pertinere, hinc statim concluserunt Singultum in iis partibus solum locum habere, quoniam in ventriculo vel æsophago soloerat causa ejus; alii autem videntes, etiam causas Singultus dari singulares, quæ directe & immediate solum diaphragma occupant, quemadmodum sunt diaphragmatis inflammationes, ejusdem vulnera, dein risus effusus, tussis diuturna, &c. ex his causis concluserunt in diaphragmate solo sedem affectam Singultus dari, & ventriculum, atque æsophagum tantum per consensum affici, sed certe, si rem propius consideremus, patet, quod ex hoc fonte causarum non validius argumentum pro priori quam pro posteriori opinione peti possit. Etenim mirabilis datur harum partium consensus inter sese, sic ut si paulo fortius afficiatur ventriculus, statim in consensum trahatur diaphragma, & vice versa. Præterea si ex causis hic argumentari licet, dicemus etiam sæpe hepar, lienem &c. imo quoque cerebrum esse partem affectam Singultus, nam observamus, quod etiam jam notarunt Hippocrates, & Celsus, in inflammationibus validis omnium harum partium, & praecipue hepatis, semper comitem sese jungere Singultum.

§. 12.

Qua propter, quoniam ex fonte causarum hic nihil certi novimus, ex quo concludere licet de sede affecta hujus mali, opus est, ut recurramus ad alium fontem, scilicet ad phænomena & remedia, & ut videamus, an ex his aliquid certius peti possit 1°. vix dubium est, quin in Singultu convellatur æsophagus & hujus motu etiam sursum rapiatur ventriculus, hoc inde concludo (ut causarum mentionem nunc non faciam) scilicet si Singultit aliquis, ad supprimendum hunc Singultum, vulgatissimum est remedium, & jam Platoni notum fortissime inspirare, & diu retinere Spiritum; si autem id facimus, id est si spiritum, quam diu fieri potest, retinemus, observabimus, quod non illa prima fortissima inspiratione, & diuturna retentione Spiritus, ideo statim cesset, & sufflaminetur Singultus, sed plerumque aliquamdiu adhuc duret. Eo autem tempore, quando homo adeo tensissimum habet diaphragma, sic ut nihil minus concipi possit, quam diaphragmatis convulsio (nam toto illo tempore, quo retinetur spiritus, in maxima tensione conservatur diaphragma) homo adhuc Singultit, & manifeste motum convulsivum Singultuosum sentit; Ergo saltem ille Singultus, qui eo tempore fit & sentitur, non est in diaphragmate, sed ab alia causa originem suam habet, quoniam autem tum adhuc homo sentit motum Singultivum, concludo illum saltem Singultum, ne-

nequaquam hærere in diaphragmate, hoc enim toto illo tempore inspirationis in maxima tensione & contractione conservatur, imo eo tempore adeo contractum est, ut ne ipsa quidem convulsione fortius contrahi possit, quoniam ergo tum tamen adhuc homo Singultit, concludo hinc, Singultum illum, eo tempore obtinentem, nequaquam in diaphragmatis convulsione situm esse, nam musculi convelluntur eadem ratione, ac contrahuntur naturaliter vi voluntatis, si ergo sub fortissima inspiratione diaphragma quantum fieri potest tendo, eundem illi motum concilio, qualem habet in convulsione, ergo supervenire convulsio non potest, quia autem tamen non obstante illa fortissima inspiratione, & hac inde nata tensione diaphragmatis, homo adhuc Singultuosas concussiones sentit, hinc videtur patere, præter convulsionem in diaphragmate etiam aliam partem adhuc convelli, scilicet æsophagum, qui ob strictam harum partium connexionem inter se, & propter mutuum consensum, qui inter has partes obtinet, secum simul sursum rapit ventriculum.

§. 13.

Quamvis autem hæc ita sese habeant, non tamen ideo putandum est, diaphragma sibi commissum in Singultu ordinario tantum sequi motum convulsi æsophagi, & solummodo passive convelli; e contra ipsum diaphragma in Singultu pleno revera convelli manifeste docent phænomena sequentia. 1°. Singultu perturbatur respirationis actio, atqui omnibus notum est, quod absque hujus musculi transversi ope nulla inspiratio (cujus præternaturalis affectus Singultus est) fieri possit. 2°. in homine Singultiente regio epigastrica leviter extrorsum agitur, & homo facit simul brevissimam inspirationem (quamvis Platerus scribat in Singultu fieri exspirationem, sed hoc manifeste falsum est) 3°. sonitus ille, qui auditur in Singultientibus, potius fit ab inspiratione, quam ab exspiratione, constat enim æque per inspirationem quam per exspirationem posse produci sonitum, quamvis per exspirationem magis modificare possimus, imo Th. Cranen in Tractatu de Homine Cap. LXXXIII. scribit, se novisse hominem, qui æque bene inspirando, quam exspirando poterat loqui, talis nunc per inspirationem natus sonitus concomitatur Singultum: Hic sonitus aliquando adeo vehemens est, ut ex longinquo audiri possit quale exemplum memorat Cl. Fr. Hoffmannus, de virgine annorum quindecim, quam singula nocte Singultus tam vehemens infestabat, ut in vicino conclavi Singultuosam agitationem auribus percipere potuerint, magis mirum exemplum notavit Lazar. Riverius in Observ. commun. Obs. 1. de futore quinquagenario, qui angebatur Singultu tam gravi, ut ejus sonus sive strepitus ultra quartam domum vicinam suæ e sub-

ſubjecta via facile audiretur, nulla remiſſione, nullis datis induciis.

§. 14.

Ex his itaque puto conſtare, (quoniam diaphragma præcipue concurrit ad reſpirationis actionem) etiam tum diaphragma affectum eſſe, præterea quia fortiſſima inſpiratione Singultus pulchre compeſci poteſt, (niſi a cauſa majori vel inflammatoria originem habeat) aut etiam e contra fortiſſima exſpiratione, quod jam notum fuit Hippocrati, qui ſcribit Sect. VI. Aphor. 13. *A Singultu detento ſternutationes ſupervenientes ſolvunt Singultum.* hinc ubi homo inſpirat fortiſſime, & aërem diu retinet in pulmonibus, eo tempore habet diaphragma ſuum tenſiſſimum, illud tum trahit utcunque æſophagum ſibi adnexum, hac tractione non adeo compeſci poteſt convulſio æſophagi, ſed tum compeſcitur illa convulſio, quæ alias concutit diaphragma, ergo pro remedio aliquo haberi poteſt illa ſpiritus retentio, nam hæc agit directe & immediate in diaphragma.

Exſpiratione magis adhuc videtur patere (ſcilicet quando hæc pro remedio Singultus adhibetur) ſedem affectam etiam in diaphragmate reſidere, nam ubi homo exſpirat fortiſſime, ſurſum trahit diaphragma, ergo hoc laxatur, & viſcera abdominalia urgentur intra thoracem, ſic ut laxiſſimus fiat æſophagus, hac ergo relaxatione videretur vix poſſe impediri vel imminui convulſio ejus, verum hac ſurſum truſione diaphragmatis, reſiſtitur diaphragmati, ſic ut non poſſit deorſum ire. Hac ratione poteſt concuſſio ejus Singultuoſa impediri & ſufflaminari.

§. 15.

Ex his omnibus probe perſpectis admodum probabiliter concludi poſſe videtur, opinionem tertiam vel ultimam proxime cum vero convenire, quæ ſtatuit, & Æſophagum & ventriculum, & diaphragma ſimul eſſe partem affectam Singultus.

Itaque ſequenti modo optime definiri poteſt.

Singultus eſt inſpiratio aëris ſubita, violenta, abrupta, cum ſono ingrato ac incondito, & aliquando cum dolore conjuncta, orta a motu convulſivo ſubitaneo ac quaſi momentaneo æſophagi, quo ille una cum adnexo ventriculo ſurſum trahitur, ſimulque conans diaphragma ſurſum trahere, ſed eo ipſo hoc conatu efficiens, ut in contrarium, id eſt deorſum moveatur, ac trahenti æſophago reſiſtat, eumque potius deorſum trahat, non tamen continuo affligens, ſed per intervalla repetens ac deſinens.

§. 16.

In Singultu adeſſe reſpirationis vitium, clare docent phænomena reſpirationis, comparata cum phænomenis Singultus, nam quemadmodum

modum sub naturali inspiratione antecedere observatur motus musculorum intercostalium, sequitur diaphragmatis contractio deorsum, & tandem abdominis elevatio, hæc omnia autem ordinato & placido procedunt gradu, ita e contrario in Singultatione, tanquam præternaturali inspiratione, primum observatur septi transversi constrictio, dein sequitur motus connexarum partium, cuncta vero vehementer & velocissime fiunt, nam concutitur pectus celeri impetu cum sono acuto, ingrato, & incondito, sic ut sermo intercipiatur, concutitur quoque eadem vehementia gula ac œsophagus, concusso denique septo, productoque Singultuoso sonitu dein lento progressu rursus convexum redditur diaphragma.

§. 17.

Diximus in definitione Singultum esse convulsionem momentaneam, nam momentum tantum durat, & paulo post statim desinit, unde non est Spasmus permanens, & continuatus, hinc distinguit sese ab ea spasmodica contractione, quæ diutius septum tenet rigidum, ac perpetuam spirandi causatur difficultatem, ut fit in asthmate convulsivo, & paroxysmo hysterico, sic quoque se distinguit a motu ordinario harum partium, nam in respiratione & deglutitione lentior est, & magis ordinata harum partium actio, sed in Singultu moventur hæ partes fortiter, breviter, & abrupte.

Porro diximus in definitione esse convulsionem, nam impediri nequit paroxysmus Singultuosus, & ab iisdem causis oritur, a quibus convulsio: Sylvius quidem scribit loco ante citato, sibi fuisse Singultum voluntarium, sed inde non sequitur, non esse convulsionem, nam dantur etiam homines, qui in potestate sua habent emittere flatus & ructus quotiescunque velint, tamen nemo dubitat, quin hi inter spasmodicos vel convulsivos motus sint referendi, quod & etiam de Singultu verum est, nam non excitatur, nec etiam cessat pro voluntate nostra: Etenim si Singultus sufflaminationem in sua potestate haberent ægri, ab hoc molestissimo, quam maxime fatigante, ac sæpe lethali affectu quidem se statim liberarent. Molestum autem esse hunc Singultum, confirmatur exemplo Tulpii, qui Libro IV. Cap. 25. narrat de Singultu quodam per duodecim dies durante, atque adeo molesto, ut æger nec edere, nec bibere, nec dormire, imo ne quidem loqui potuerit præ molestia paroxysmi Singultuosi. De Singultu adeo fatigante, ut intra quadraginta horas lethalis fuerit in puerpera exemplum habet Lanzonius in Tom. II. Obs. 70.

Esse autem revera convulsionem, patet ex definitione convulsionis, quam Cl. Boerhaave in suis Aphorismis §. 230. exhibet, scilicet quod sit *violenta, invita, & alterne repetens contractio musculi*, diaphragma

 autem

autem non esse musculum, nemo puto negabit: porro esse violentum & vehementem motum hunc, confirmat Dolæus Libr. III. Cap. 2. dicens, quod Motus Singultivus sit adeo vehemens, ut totum cum diaphragmate corpus concutiatur, imo ut costæ a motu hoc violento frangi videantur.

§. 18.

Huc usque egimus de Singultu pleno vel completo.

Dantur autem præterea adhuc duæ species Singultus incompleti, in quibus aut solum diaphragma sine æsophago, aut solus æsophagus sine diaphragmate in convulsione est, scilicet primæ speciei est ille Singultus, qui in infantibus plorantibus, postquam diu plorarunt, observatur, hunc etiam Singultum vocamus, sed ille id fortasse peculiare habet, quod fiat absque convulsione æsophagi, in hoc Singultu manifesta est inspiratio, nam infantes tum sub singulo paroxysmo cum vehementia inspirant, manifesta etiam est hujus origo ex affecto diaphragmate, diaphragma enim est mirabilis musculus, & mirum in modum consentit cum aliis partibus, nam si gaudemus diaphragma fortissime concutitur, hinc risus excitatur, ita in mærore etiam in consensum rapitur, hinc sive gaudium, sive mæror, semper compatitur diaphragma. Hujus incompleti Singultus longe facilior est sufflaminatio, quam completi, nam post fletum sponte cessat, sic ut, si desinunt plorare infantes, desinat quoque Singultus, dein non adeo fatigans ab hoc incompleto Singultu nascitur concussio.

Altera species incompleti Singultus est, quando homo pleno Singultu laborans, fortissime inspirat, & spiritum cohibet, retinens diaphragma in fortissima tensione, sic ut convelli non possit: iste Singultus tum tantum pro parte est Singultus, nam tantummodo æsophagus convellitur, non autem diaphragma, ut pote quod vi voluntatis fortissime tensum est: Ergo hæc posterior species tantum fit per convulsum æsophagum.

§. 19.

Igitur motus Singultivus est oppositus motui sternutatorio, nam quemadmodum in sternutatione est violenta aëris expulsio ex pulmonibus, sic in Singultu est violenta aëris attractio in pulmones.

Convulsio hæc Singultuosa nunc citior est, nunc segnior, nunc brevi finitur, nunc diu durat, nunc gravior est, nunc levior, (prout irritatio gravior, vel levior est) nunc periculosior, nunc minus periculosa, nunc critica est, nunc symptomatica, fit autem nunc per idiopathiam harum partium, nunc per sympathiam. Dein Singultus est vel acutus, vel chronicus, vagus, vel periodicus, id est nunc ordinatis nunc vagis periodis affligit. Porro Singultus aliquando verus

mor-

morbus est, aliquando aliis morbis tanquam symptoma supervenit. Pro vero morbo haberi potest, si oritur ex causa particulari, quæ nec est inflammatio, nec scirrhus, nec pus incumbens Diaphragmati &c. sed tantummodo nimia sensilitas & mobilitas harum partium, ita ut justo facilius ab acribus afficiantur. Hujus speciei Singultus nullo alio morbo stipati exemplum refert Fr. Hoffmannus Tom. IV. Cap. 14. §. 20. Instar symptomatis saepe supervenit aliis morbis, E. G. inflammtionibus hepatis, cerebri vel aliorum viscerum, febribus continuis &c.

§. 20.

Dein ut supra diximus, Singultus est vel idiopathicus, vel sympathicus. Idiopathicum Singultum producere potest quidquid ventriculum & diaphragma male afficere potest, scilicet directe in has partes agens, sive sit flatus aliquis inter deglutiendum interceptus atque aliquo modo æsophagum vel ventriculum distendens, sive sit inflammatio harum partium, tumor, abscessus, pus, vel ichor, vel alia quæcunque materies, hisce partibus inhærens, & copia, vel qualitate sua molesta, & apta Singultum producendo.

Sympathicus poterit dici ille Singultus, qui oritur ab aliarum partium morbis prægressis, sive partes hæ fuerint vicinæ, quemadmodum inflammationi, & scirrho hepatis, lienis, & similium aliarum partium abdomine contentarum morbis supervenit Singultus, sive remotiores fuerint, quemadmodum si læditur cerebrum, cerebellum, vel dura mater, ex consensu harum partium cum ventriculo oritur sæpe vomitus & Singultus.

Tandem Singultus est vel protopathicus, vel deuteropathicus. Protopathicus vel primarius, & principalis morbus haberi potest Singultus, quando ab alio morbo prægresso originem suam non habet, sed ipse verus morbus est, cujus speciei est ille, qui oritur a nimia sensilitate diaphragmatis & ventriculi. Deuteropathicus vel secundarius est ille Singultus, qui tanquam morbus secundus alteri morbo supervenit, verum qui primo sublato tamen consistit. Hujus exempla duo nobis narrat Horstius de Singultu febribus acutis & continuis superveniente, sed qui sublata febre tamen subsistebat: uti legere potestis in hujus auctoris operibus Libr. I. de febribus. Obs. 25. qualem casum etiam observavit Velschius Hecatost. 2. Singultum supervenisse arthritidi, qui postea perdurabat, licet arthritis non amplius artus male afficeret.

§. 21.

Visis sic nonnullis differentiis Singultus, super est, ut ad expositionem causarum accedamus: Etenim recta causarum cognitio viam ster-

nit ad justam & rectam instituendam curationem.

Verum quoniam causæ ejus permultæ & valde diversæ sunt, hinc in recensendis iis clarioris intellectus gratia eas distinguemus: primo incepturi a causa proxima Singultus idiopathici, quæ immediate morbum producit, dein causas antecedentes, & remotas, prædisponentes, & occasionales proponemus, & tandem dicendum erit de causa Singultus ab Hippocrate huic morbo assignata, scilicet Repletione, & Inanitione, circa quam explicandam auctores ab omni ævo se tam misere torserunt.

Quoniam vero brevitati studemus, hinc omnes differentes auctorum opiniones circa causas non enumerabimus, hac in re L. B. relegantes ad Joh. Dolæi Encyclop. Med. Dogmat. Libr. III. Cap. 2. §. 5. ad 10. qui has graphice descripsit, & cuique nomen auctoris patroni addidit.

§. 22.

Itaque causa proxima hujus Singultationis est contractio spasmodico-convulsiva harum memoratarum partium, orta ab irritatione vel stimulatione æsophagi, ventriculi, & diaphragmatis, unde natura irritata, vel, ut cum Helmontio loquamur, Archæus incitatus, aut quemadmodum habet Dolæus, Gasteranax noster affectus insurgit ad expellendum illud acre, quod irritat, & stimulat. Illa enim est indoles, & natura omnium fibrarum totius corporis, quod si compungantur, vellicentur, aut quocunque modo irritentur, insurgant, & in motus oscillatorios, & contractorios agitentur, ut illud noxium, & irritans acre expellant: Hæc contractio nunc major, vel minor est, prout plus minusve robustæ sunt partes, vel prout acrius est, & vehementius id quod stimulat; Nostra enim solida ab irritantibus affici, patet in animalibus vivis dissectis, hæc evacuato omni sanguine, quiescentibus partibus, si acicula purgantur, semper contractio sequitur, sic etiam in Singultu fieri potest, quando fibræ ventriculi, æsophagi, vel diaphragmatis irritantur, & stimulantur, motus convulsivus excitatur. Quamobrem quo debiliori, & mobiliori systemate solidorum homines constituti sunt, eo facilius hoc affectu corripiuntur, hinc infantes, pueri, ac mulieres huic præ aliis sunt obnoxiæ. Verum quum convulsio hæc particularis sit, & non in toto corpore obtineat, facile intelligimus, causam ejus etiam particularem esse, & vel in ipso diaphragmate, æsophago, & ventriculo quærendam esse, vel in partibus vicinis, sive aliquid ab iis diaphragmati communicetur, sive ratione communium, aut membranarum, aut nervorum inter se communicent, vel tandem si causa sit universalis, & in toto corpore obtineat, tamen non prius oriri Singul-

gultum, quam irritatio cum diaphragmate communicata fuerit.

§. 23.

Caufa antecedens poteft effe omne id, quod ad violentam, non tamen durantem, fed interruptam, & fubindé repetentem contractionem œfophagum & diaphragma irritare, & vellicando ftimulare poteft.

Cui iterum anfam præbere poffunt caufæ multæ externæ, & procatharcticæ, fcilicet fi hæ tales funt, ut fuo impedimento, five externo five interno motum diaphragmatis depravare poffint.

Has nunc ordine recenfebimus.

§. 24.

Huc pertinet 1°. Aër frigidior, humidior, & acribus, vel terreftribus halitibus inquinatus, imprimis fi corporibus non bene tectis, vel calentibus fubito applicetur, aut fi diu per paludofas, frigidas, & humidas vias nudis pedibus incedunt, unde tunc refrigeratis partibus, cohibita transfpiratione, materia perfpirabili retropulfa, & ulteriori circulatione cum fanguine acriori reddita, ad alias partes fertur, ibique fpafmos & convulfiones producit: Quod aër frigidus & humidus Singultum poffit producere, exemplo confirmat Henr. Regius in Prax. Med. Libr. III. Obf. 8. de puella quadam tredecim annos nata, quæ tota hyeme laboraverat Singultu, æftate ab ea immunis fuerat, fed fequenti autumno (accedente fcilicet frigida & humida tempeftate) redibat Singultus. Similem obfervationem, imo fere eundem cafum refert Laz. Riverius in Obfervationibus Cent. III. Obferv. 42. Ex aëre procellofo frigido natum Singultum obfervavit Hoyerus in Ephem. Nat. Cur. Vol. IV. Obf. 33. De Singultu graviffimo ex inedia, frigore & itinere in futore quodam quinquagenario refert idem Riverius in Obfervationibus communicatis ab Henr. Rufo. Obf. I.

§. 25.

2°. Alimenta vel copia peccantia, vel qualitate fua ventriculo molefta; quemadmodum eft avidior ciborum ingurgitatio, & celeris ingerendorum deglutitio, ficut bolus bolum, hauftus hauftum trudat, dein cibi nimia quantitate ingefti, & ventriculum onerantes, uti in pueris voracioribus, & hominibus gulæ deditis fæpe experimur, quod idem de potu nimia copia ingurgitato verum eft. Dein alimenta qualitate fua peccantia, vel acria, & ventriculum rodentia, vel duriora, & craffiora, aut minus mafticata, & feftinantius deglutita, porro vermes in ventriculo hærentes fuo continuo motu & rofione Singultum producere poffunt: Tandem aër in ventriculo claufo interceptus, per calorem rarefactus, & nomine ructus fubito erum-

pens Singultum causare potest. Ex nimia & nimis celeri deglutitione & ingurgitatione ciborum tam solidorum, quam potulentorum oritur ille sic dictus diæteticus Singultus, qui non multum periculi sub se habet, sed facile iterum transit: De tali Singultu ex nimis voraci ingurgitatione ciborum casum refert Forestus Libr. XVIII. Obs. 12. in fine Scholii, de puella quadam assiduo Singultiente, quæ antea pulmonibus bubulis largiter usa fuerat, quorum frustulum in æsophago restitabat; imo solum panem nimia quantitate ingestum Singultum concitare posse, notat Epiphanius Ferdinandus Hist. Med. 43. Pastas farinaceas, panem recentem ex clybano extractum, & comestum, caseum ac similia Singultum producere posse scribit Zuingerus. De potu frigido nimia copia & subito ingesto Singultum excitatum absque intermissione refert Goeritzius in Ephem. Nat. Cur. Vol. III. Obs. 24. De Singultu semestri vehementissimo a frigido haustu memorat Riverius Observ. infreq. Obs. 1. Ab alimentis vel medicamentis acribus, ventriculum rodentibus Singultum sæpe oriri experientia confirmat, sic ex devorato pipere, & desuper hausto vino notante Schenkio Singultus cuivis excitari potest: Sive autem hæc per se nimis acria sint, vel in ipso ventriculo in acredinem, & visciditatem degenerent. De Singultu in infantibus ex lacte corrupto, & ab acido coagulato, aut etiam a strigmentis caseosis & glutinosis sæpe fieri Singultum scribit Dolæus Libro VI. de Morb. Infant. Cap. 4. De Singultu ex lacte acido infanti funesto narrat Barthol. in Act. Med. Haffn. Vol. II. Obs. 28. Ab acri quodam caustico Singultum excitatum fuisse refert Barbette in prax. Med. Libr. IV. Cap. 2. Obs. 9. De Mercatore quodam quinquagenario, qui loco Balsami Sulphuris assumpsit Oleum Vitrioli, unde dies noctesque molestissimo vexabatur Singultu; Ex intemperato usu Julapiorum acidorum & refrigerantium in febribus ex temeritate Medicorum sæpe fieri Singultum scribit Schenkius.

§. 26.

3°. Vomitoria & Purgantia fortia & drastica, quæ rodendo, stimulando, inflammando ventriculum Singultum sæpe producunt, dein vomitus, vel nausea diuturna ab assumptis venenis, vel aliis rebus nauseosis. Porro ex refrigeratione ventriculi, qualem Singultum vidit Forestus loco ante memorato, quem vino Hippocratico albo curavit.

4°. Quidquid Diaphragma valde & impetuosius concutere potest, veluti motus ejus nimius in risu profusissimo, in tussi diuturna, in mœrore, & lachrymarum profusione.

5°. Nimiæ Vigiliæ.

6°. Subitanei & vehementes animi affectus, cujus rei exemplum memorat Lanzonius loco ante citato puerperæ cujusdam, gravi terrore

rore

rore perculsæ ex improviso reditu fratris sui, unde in Singultum & alia mala symptomata incidit, ex quibus intra quadraginta horas mortua est.

7°. Excretiones quædam aut nimiæ aut suppressæ, & per metastasin ad ventriculum vel diaphragma in morbis translatæ, sic si materia arthritica vel podagrica vel dysenterica vel alia quævis per metastasin huc transfertur. Ex suppressa diarrhæa Singultum observavit in viro triginta annorum Lanzonius Obs. 81. Ex retropulsa arthritide Singultum vidit Velschius Hecatost. 11. Obs. 54. Ex suppressis menstruis in virgine annorum quindecim per tria semestria observavit Singultum Cl. Fr. Hoffmannus in Medic. Ration. Systemat. Tom. IV. Cap. 14. Obs. 1. Ab excretionibus nimiis oritur etiam sæpe Singultus, hunc veteres juxta Hippocratem Singultum ab inanitione vocabant.

8°. Quidquid partem superiorem abdominis, sive regionem Epigastricam nimium aut gravare, aut premere, aut constringere, aut quocunque alio modo male afficere potest, quemadmodum est inflammatio ventriculi, & diaphragmatis, tumor, scirrhus, abscessus, ulcus, hydrops thoracis, empyema pectoris, vel liquor quicunque thorace contentus diaphragmati incumbens, & non tantum sua acrimonia ubi corrumpitur, & putrescit, diaphragmati molesta, sed etiam solo pondere & gravitate diaphragma premens, sic Cl. Hoffmannus libro ante citato §. 14. narrat de homine quodam, qui per decem & tres dies vehementissimo afflictus Singultu tandem obiit, in cujus thorace post institutam cadaveris sectionem aliquot seri acrioris extra vasa natantis unciæ repertæ fuerunt. Porro J. Schenkius in Observationibus Medicinalibus Rarioribus Libr. III. Obs. 2. refert de Singultu trimestri ex costarum ad ventriculum retorsione, qui nullis consuetis remediis ante potuit expediri, quam costæ extremum blande ac molliter erectum fuerit, qui Singultus semper repetebat, quoties costa denuo incurvabatur: De Fæmina vehementissimo Singultu correpta, ex ictu, quem ab equo acceperat circa scrobiculum cordis memorant Transactiones Anglicanæ, qui sublatus est usu Moschi.

Tandem 9°. Sunt quædam venena, quæ hanc singularem proprietatem habent, ut Singultum inducant, narrant id auctores de veneno Viperæ & Aspidis.

Hæ sunt causæ præcipuæ externæ & occasionales, quæ Singultum producere possunt.

§. 27.

Sed præter has externas, & occasionales Idiopathici Singultus causas, etiam ex sympathia oriri potest, scilicet per consensum ex aliarum partium affectibus, atque tunc morbus præcedens vice causæ fungitur.

Sin-

Singultus autem hic morbo alicui ſuperveniens raro aliquid boni indicat, niſi quando fuerit criticus.

Talem per ſympathiam Singultum inferunt E. G. inflammationes vicinarum partium, uti hepatis (imprimis in parte ejus gibboſa, quia hæc immediate contingit diaphragma, & ſuo tumore illud comprimit) dein ventriculi, æſophagi, faucium, lienis, meſenterii, & aliarum partium abdomine contentarum. Ex inflammatione hepatis Foreſtus in ruſtico quodam vidit Singultum loco ante memorato; tumores earundem partium, abſceſſus, ſcirrhi &c. & in genere quicunque affectus vel morbi harum partium: Aliquando Singultus oriri poteſt ex flatu inter deglutiendum intercepto, & æſophagum diſtendente: aliquando vomitui ſupervenit Singultus, cujus obſervatio habetur in Ephem. Nat. Cur. Cent. v. Obſ. 46. aliquando Singultus oriri poteſt ab aphthis primas vias obſidentibus, vel orientibus, vel increſcentibus, vel decidentibus, vel ex variolis & morbillis, quando ſub cruſtis aphthoſis, vel varioloſis materia acris & exedens reperitur, ex ictero, ex colica inteſtinorum, dein ex utero inflammato, aut tantum ſimpliciter per graviditatem nimium diſtento, dein ſi menſtrua in virginibus ſuppreſſa ſunt, aut non rite fluunt cujus ſpeciei antea ex Fr. Hoffmanno exemplum recenſuimus.

Imo non tantum vicinis partibus læſis ſupervenit Singultus, ſed etiam remotiorum partium affectionibus, ſic vulneribus capitis, percuſſionibus & commotionibus cerebri, inflammationibus menyngum cerebri, dein in nephritide, in ilec (quem damnavit Hippocrates Sect. VII. Aphor. 10.) porro in hernia graviori, in febribus malignis, peſtilentialibus, inflammatoriis, vel continuis, dein ſi in inteſtinis vermes nidulantur, hi ſuo continuo motu & roſione in partibus his nervoſis, & ad modum ſenſilibus Singultum producere poſſunt.

Porro luxatio vertebrarum, dein luxatio, fractura, contorſio, inflexio vel intropreſſio extremitatum coſtarum, inprimis inferiorum, ventriculum prementium, dein mala conformatio oſſium pectoris, V. G. ſi cartilago mucronata luxata, vel ob alias cauſas magis introrſum reflexa eſt, ut ventriculum ſtimulare poſſit.

Tandem a bile nimis acri, rancida, vel putrida uſque in ventriculum regurgitante Singultus quoque oriri poteſt.

§. 28.

Nomine ſymptomatis aliis morbis etiam nonnunquam ſupervenit Singultus, ſic ſæpe ſupervenit nimiis quibuscunque evacuationibus, ſive alvinis, ſive renalibus, ſive uterinis, ſive per nares, vel per alias vias, aut etiam ex vulneribus, in quibus mali ominis habetur ab Hippocrate Sect. v. Aphor. 3.

Dein

Dein etiam febribus tam acutis, peſtilentialibus, ardentibus, & continuis, quam chronicis, in Febribus peſtilentialibus; ſæpe adeſſe Singultum ſcribit Diemerbroeck in Tractatu de peſte Libr. 1. Cap. 13. §. 5. De Singultu chronico in cachectico quodam memorat Hoffmannus loco citato. Supervenit etiam ipſis morbis convulſivis, vel univerſalibus, vel particularibus, diaphragma ſimul afficientibus, ſic ſupervenit epilepſiæ, paſſionibus hyſtericis, hypochondriacis, &c. dein dolori colico & nephritico graviori, dein ſic dictæ intemperiei totius corporis, vel partium quarundam ſingularium, ita ex refrigeratis pedibus infantum ſæpe oritur Singultus, dein inflammationibus, & vulneribus pleuræ: porro purgantibus draſticis & fortioribus, qui ſi ſenibus ab hac cauſa fiat ab Hippocrate mali ominis habetur Sect. VII. Aphor. 41. Dein ex capitis vulneribus, ex parotidum ſuppuratione, ex gangræna femoris & brachii, ex ſphacelo calcis.

Porro Singultus etiam vehementiſſimus ſupervenit in ultimo gradu rabiei caninæ, dein etiam in Lue Venerea & Scorbuto, tuncque ſummam cacochymiam humorum denotat.

Tandem rarus quidam, & memorabilis caſus narratur a Maucharto in Ephem. Nat. Cur. Cent. 5. Obſ. 61. De Sponſa quadam tenera, quæ prima nocte, quam cum Sponſo degebat ex ſynuſia vel converſatione conjugali in Singultum incidit valde incommodum, ita ut hujus viri opera imploraretur.

§. 29.

Cauſæ hæ aliquando leviſſimæ ſunt, aliquando graviſſimæ, leviſſimæ ſunt illæ cauſæ, quæ ex vitiis in diæta fiunt, & hinc diæteticum illum & facile tranſitorium Singultum producunt, graviſſimæ imprimis ſi ſupervenit Singultus talibus morbis in quibus homines exhauſti ſunt, vel in iis, qui convulſionibus vexantur, unde adeo damnat Hippocrates illum Singultum, qui ſupervenit magnis hæmorrhagiis.

Cauſæ Proëgumenæ, (quemadmodum recenſentur ab auctoribus antiquis) quæ ventriculum ad Singultationem prædiſponere poſſunt, ſunt frigida, aut calida intemperies ventriculi, aut humores calidi & acres, aut humores frigidi, ac ſeroſi, ventriculi tunicis impacti, aut magna ſenſilitas diaphragmatis & ventriculi.

Cauſæ Procatharcticæ coïncidunt fere cum externis, de his autem dictum eſt ſupra.

Tandem Singultus juxta diſtinctionem ante datam dividitur etiam in acutum & Chronicum: Acutus eſt, qui morbos acutos & inflammatorios, Chronicus autem morbos longos tam periculoſos quam non periculoſos concomitatur.

§. 30.

Restat nunc ut verbo adhuc dicamus de causis tam famosis ab Hippocrate huic morbo assignatis in Aphorismis ejus Sect. VI. Aphor. 39. scilicet eas consistere vel in Repletione, vel in Evacuatione, aut Inanitione, circa quarum explicationem jam a Galeni tempore mire se torserunt omnes auctores, Hippocratis interpretes, intelligentes hæc verba sensu simplici & verbali, sed quæ tamen meo judicio hoc sensu nequaquam sumendæ sunt, Inanitio enim & Repletio hæc Hippocratis non videntur consistere in ingestis nimia, vel nimis parva quantitate, aut etiam juxta alios in plethora vel nimia evacuatione humorum crassiorum, quemadmodum omnes fere auctores veteres voluerunt, & qualem explicationem etiam dederunt, dicentes ad repletionem pertinere plethoram & cacochymiam, ad inanitionem vero quamcunque evacuationem humorum ex corpore, sive per vomitum, diarrhæam, fluxum sanguinis menstruum, per vulnera magna, vel per alias hæmorrhagias, Inanitionis nomine Galenus (notante Schenkio) intellexit summam siccitatem, cujusmodi ea est, quam febres ardentes, purgationes, sanguinis excretiones, vigiliæ immodicæ &c. invexerunt, quæque etiam chordas potest abrumpere. Alii autem videntes has duas causas nequaquam sufficere, addiderunt tertiam, scilicet irritationem a materia acri, (quod juxta auctores jam a Galeno factum est.) Tandem alii addiderunt quartam causam, scilicet refrigerationem.

Verum horum explicatio valde manca & defectuosa est, & jam antiquis temporibus Sennertus, dein Lanzonius, & alii post eum viderunt, has causas hoc sensu nequaquam valere posse; Verum ut res clarius innotescat, utar ipsis verbis Chr. a Vega, qui has Hippocratis causas defendere nititur, qui Libr. III. Sect. 7. Cap. 9. dicit. *Hujus symptomatis* (nempe Singultus) *causas quatuor generibus sejunxit Galenus Libro* VIII. *de Comp. Medicam. per locos.* 1ª. *est Repletio, quum enim fibræ ventriculi humore aut etiam flatu implentur, ventriculus convulsioni similem dispositionem patitur, ac concutitur convulsorio modo, quod humor melancholicus acerbæ qualitatis præ omnibus facere valet. Persimile symptoma oritur a secundo genere causarum ubi ventriculus ex nimia evacuatione arefactus contrahitur, & contractorios, ac concussorios motus patitur. A causis quoque mordentibus Singultus excitatur, quod fit ubi acres humores os ventriculi momorderint, aut ibidem geniti, aut aliunde confluentes, aut cibi in eam naturam corrumpantur, aut ciborum ea sit natura, quemadmodum si quis piper & mel, aut piper & vinum ingesserit. Quartum genus causarum est frigus, nimia enim frigiditate riget ventriculus, & compressionem validam non ferens, commovetur ac Singultit. Hoc symptoma pueris sæpe evenit, ventriculo refrigerato per se, aut pe-*

dum

dum frigori consentiente. Signa repletionis sunt gravitas, si non fiat aflatu, distensio, dolor, & victus praecedens, & defectus signorum, quae inanitionem ostendunt. Inanitionem autem docent inedia praecedens, fluxus ventris, vomitus, fluxus sanguinis, & similes evacuationes. Causam mordentem agnoscimus ex ructu nidoroso, ex vomitu bilis, aut cujusvis acris & mordentis excrementi, aut innotescet ex victu praecedente. Frigiditas agnoscitur, ex his, quae praecesserunt, quae interius assumpta, aut exterius admota refrigerare valuerunt, de quorum numero est pedum aut capitis refrigeratio. Huc usque hic auctor. Alii autem quemadmodum Hartmannus, & Schenkius, putant duas illas ab Hippocrate statutas causas, inanitionem & repletionem sufficere ad explicandas omnes causas Singultus, & tertiam a Galeno atque aliis post eum additam, scilicet materiam acrem, sub repletione pertinere, hanc rationem exhibentes, quia inanitio omnia comprehendit, quae ex corpore exeunt, ita repletio cuncta illa, quae per os ingeruntur, qualiacunque demum sint, comprehendit. Schenkius autem aliam adhuc rationem exhibet in Libr. III. Observ. Medicin. Rarior. Obs. I. scilicet statuit repletionem geminam esse, unam ad vasa, alteram ad vires. Repletio ad vasa ipsi erat, quum nervi adeo replentur, ut necessario contrahi, & breviores fieri debeant, ad vires autem, quando iidem humore quodam gravantur, non multo quidem, sed vitiosa qualitate praedito: concludendo dicens, *itaque repletionis nomine non tantum summam plenitudinem, quae ad vasa dicitur Hippocrates intellexit, verum acrem etiam aut serosum, aut medicatum humorem nervos mordentem, a quo convulsiones saepissime oriri possunt.*

§. 31.

Verum unusquisque facile videt, quam ridicula sint, & vilipendenda haecce argumenta, praeterea auctores ne quidem de iis inter se conveniunt, dum unus duas, alter tres, alter iterum quatuor proponat, hinc recte scripsit Lanzonius, *supervacaneum esse, causam Singultus ex inanitione, & repletione velle deducere*, & statuit veram causam Singultus consistere in irritatione & vellicatione aesophagi & diaphragmatis, quod etiam confirmant Musitanus Libr. III. Cap. 9. Lazarus Riverius Lib. IX. Cap. 6. & omnium clarissime Sennertus, qui Libr. III. Sect. 2. Cap. 10. haec verba habet. *Quamquam* (dicit) *in Singultu humores interdum copiosius ad ventriculum confluant, tamen non, quatenus replent, Singultum efficiunt, sed quatenus ventriculum irritant, etsi quoque in Singultu causae saepe conjunguntur, quae corpus exsiccant, quod saepe in magnis evacuationibus fit, tamen Singultus non fit ab his causis, quatenus inaniunt corpus, sed quatenus ventriculum mordicant & vellicant, & si ex inanitione ac repletione ventriculus contraheretur in*

Singultu, non posset iterum extendi, neque talis vibratio fieret: Mercurialis (pergit) *equidem Hippocratis sententiam defendere conatur, sed parum feliciter, nam ut acres humores ad plenitudinem referre possit, scribit, acres humores facere convulsionem, quia plenitudinem inducunt, nam inquit sicut vasa dicuntur inanita, quoniam carent eo, quod continere debent, simili modo plena dici debent, quando continent id, quod non debebant, quapropter quoniam in ventriculo sunt humores acres manifestum est, ibi posse esse aliquam plenitudinem: Verum appellet sane humorum acrium in ventriculo præsentiam plenitudinem (quod tamen commode semper fieri non potest, quum sæpe etiam humores quantitate pauci Singultum inducere possint) quæritur tamen an humores tales, quatenus copia peccant Singultum excitent, quod certe concedi non potest; quum eundem a piperis uno vel altero grano oriri videamus, quæ tamen plenitudinem excitare, & constituere nullo modo dici possunt:* Concludit dicendo: *Proxima ergo Singultus causa est materia acris, ventriculum, & præcipue ejus orificium irritans & vellicans.* Hæc sunt verba Sennerti super hunc Aphorismum Hippocratis, quibus additur a Musitano, Libro & Capite supra citatis, quod, si repletio mire torquet vulgares, inanitio eos dementet, quia impossibile est explicare, quo pacto inanitio Singultum excitare possit, ejus enim essentia non per entitatem positivam constituitur, sed in negativo consistit, nemo igitur dixerit, naturam ad defectum expellendum insurgere, quin potius eam se moturam ad illum reparandum, & sic attractricem potius, quam expultricem facultatem impulsuram: nam si Singultus sequitur post magnas evacuationes, ut in acutis & malignis febribus, & purgatione ex Helleboro aliquando contingit, id non evacuationi simpliciter tribuendum esse, sed potius malignæ cuidam qualitati a morbo vel medicamento ventriculo impressæ. Tandem si inanitio Singultum efficit, quæri hic posset, cur qui ex inedia intereunt, aut hectici moriuntur, Singultiendi finem non faciant, quum certe inanitione laborent.

Cæterum de inanitione & repletione præter memoratos jam auctores etiam videri potest Ballonius Tom. II. Libr. I. Cons. 58.

§. 32.

Ex his igitur patet, auctores hos plane rejicere dicta Hippocratis ab aliis pro oraculis habita & venditata; Verum ut tamen Hippocrati aliquo modo subveniamus, benigna interpretatione utentes, possumus dicere, Hippocratem, forte non eo sensu, quo voluere Galenus & alii auctores, ac si causa Singultus esset nimia plethora, vel evacuatio, hoc scripsisse, sed quoniam ipsi eo jam tempore nequaquam latuit spirituum vel liquidi nervei præsentia, quod patet ex Enormounte, vel impetum faciente, de quo toties memorat, Hippocratem

tan-

tantum per hanc inanitionem & repletionem voluisse significare, Singultum esse omnino similem convulsioni, nam quemadmodum convulsio fit ab inordinato motu liquidi nervei per nervos transfluentis, id est hoc momento nervis justo magis repletis, paulo post vero justo magis inanitis, ita etiam Singultum oriri a liquido nerveo inordinate, id est nunc nimis, & nunc parcius, in nervos orificii ventriculi influente, atque sic hoc momento repletionem, sequenti vero inanitionem nervorum producente. Hac ratione hæc ferri possunt, cæterum sensu priori nullius usus sunt, & nequaquam tunc ex his ut caussis Singultus originem suam agnoscit.

§. 33.

Singultus omni ætati & sexui infestus est, & nulla ætas vel sexus est, cui parcit, nam æque infantes, pueros, adultos, senes, viros ac fœminas, virgines, gravidas ac puerperas affligit. Singultum in fœtu nondum nato, sed adhuc utero incluso observavit Dn. Joh. Petr. Albrecht M. N. C. Decad. II. Anni 6. Observ. 15. pag. 42. qui manu abdomini matris admota motum molestum embryonis observavit; verum quoniam hæc historia adeo rara & mira est, hinc sistam iisdem verbis, quibus apud Schurigium in Embryologia Sect. III. Cap. I. citatam inveni. *Fœmina* (inquit) *quædam ultimis gestationis mensibus de molesto admodum, sæpius reciprocante fœtus motu conquerebatur, præsertim quum ita inde fatigaretur, ut non raro animi deliquiis proxima esset. Hic motus subsultorius, suos quasi rhytmos observans, quoties percipiebatur, toties totum matris abdomen concutiebat. Singulis diebus ter ad minimum hunc paroxysmum illa sustinebat. Vocatus igitur in consilium, manuque abdomini matris admota, diligenter cunctas circumstantias perpendi embryonemque Singultu a nutrimento nimis acri contractionem diaphragmatis violentam ac reciprocam concitante, laborare judicavi.* Rarus admodum hicce casus est, si verus est, sed dubito valde, an non auctor hic deceptus fuerit, & motum infantis cum pedibus, vel aliis partibus sui corporis pro motu Singultivo habuerit, quia non adeo facile est, omnia phænomena rite observare in fœtibus, utero adhuc inclusis, præterea quoniam infantes quamdiu utero inhærent, non respirant, non possum concipere, quomodo Singultus (qui semper inspirando absolvitur) fieri possit, nec etiam quomodo diaphragma contrahi possit, quemadmodum scribit auctor factum fuisse, diaphragmate enim contracto cavitas interna thoracis augetur, atque dum hoc fit in jam natis & respirantibus, aër cum impetu in pulmones irruit, nisi auctor velit, liquorem amnii nunc sub singulo paroxysmo Singultuoso loco aëris in pulmones irruisse: cui accedit, quod motus in Singultationibus quidem fortis sit, verum non adeo fortis,

ut per membranas & aquas, fœtum cingentes se in abdomine externo matris conspicuum præbeat, & hanc adeo fatiget, ut animi deliquio proxima sit. Quidquid autem hac de re sit, num vera, num autem falsa existat, dicere non possum, verum hanc historiam etiam citatam inveni ab J. Dolæo in Encyclop. Med. Dogm. Libr. 6. de Morb. Infant. Cap. 4. §. 8.

§. 34.

In infantibus autem & pueris sæpe obtinere Singultum ex lacte acido & corrupto memorat idem Dolæus loco supra citato, quod & confirmat Cl. Boerhaave in Aphor. de Cogn. & Cur. Morb. §. 1341. De puella septem annorum Singultiente observatio habetur in Ephem. Nat. Cur. Vol. III. Obs. 24. De puella quadam tredecim annorum Singultiente refert Regius Libr. III. prax. Med. Obs. 8. Quod Singultus adultos etiam vexet, nimis notum est, quam ut exemplis illustrem. Verum de Singultu in sene, septuaginta & sex annos nato exemplum habetur in Ephem. Nat. Cur. Vol. IV. Obs. 33. imo de vetula octuagenaria Singultu adhuc vexata, mentionem facit Forestus loco toties memorato. Singultum in viro qui jam excedebat annum octuagesimum Cardanus vidit, & curavit absinthio, oleo amygdalino & oxymelle, vide librum ejus de Curationibus Admirandis Curat. XXI.

Dein Singultus sexui fœminino æque infestus est quam masculino, atque huic etiam indiscriminatim accidit tam puellis, quam virginibus, maritatis, gravidis, puerperis, lactantibus, vetulis. De puella ante primam eruptionem menstruorum Singultu vexata molestissimo casum refert Cl. Hoffmannus, loco supra citato. Porro memorat Schurigius in Parthenologia Sect. II. Cap. 9. §. 5. historiam ex Lanzonio de fœmina quadam, quæ quotiescunque ad menstruorum fluxum accedebat, frequenti Singultu per duas saltem horas afficiebatur: De Singultu in gravida perpetuo & adeo molesto, ut abortum concitaverit refert idem Schurig. Embryolog. Sect. V. Cap. I. §. 34. De Singultu in puerpera exemplum habet Lanzon. Tom. II. Obs. 70. De vetula octuagenaria Singultu vexata memorat Forestus loco ante citato, quam Loch sano curavit.

§. 35.

Porro Singultus nunc statis, nunc vagis periodis affligit: De Singultu vago passim memorant auctores: De Singultu periodico annuatim in virgine recurrente, & toto die affligente, somno cessante, exemplum habet Bartholinus in Act. Med. Haffn. De Singultu periodico, qui rhytmos regulares semper observabat, refert Schurigius in Parthen. loco ante memorato: de fœmina quadam, quæ quoties-

cunque fluxus menstruus instabat per duas ad minimum horas Singultu vexabatur: similem casum habet Lanzonius Obs. 116. De Singultu omni nocte invadente virginem ex obstructione menstruorum, nec per diem eam vexante exemplum habetur apud Hoffmannum loco citato Obs. 1. Joh. Varandæus in Tract. Therapeut. De Morb. Ventr. Cap. 7. narrat exemplum de honestissima quadam Monspeliensi fœmina, quæ per sex menses Singultum periodicum, ac quidem maxime regularem passa est, incipientem ab hora meridiana usque ad mediam noctem. Tandem liceat huc quoque referre, illam speciem Singultus periodici, de qua refert Joh. Nic. Weyssius in Ephem. Nat. Cur. Vol. III. Obs. 75. cujus historia hæc est. Mulier quædam jam sexta vice uterum gerens, quoties est imprægnata, toties a primo conceptionis die ad medium gestationis tempus quotidie decies vel duodecies lipothymia vexatur, quam Singultus ad novum sæpe lipothymiæ regressum durans, sequitur: Multa ab initio adhibuit remedia, sed frustra omnia, dum nullo modo periculosa hæc symptomata compesci potuerunt, usque dum medio gestationis tempore sua sponte cessent, ita ut mulier pro signo infallibili novæ conceptionis agnoscat horum symptomatum recursum.

§. 36.

Deinde Singultus aliquando brevi finitur, aliquando diutius durat, sic referunt auctores de Singultationibus, quæ intra horam suum paroxysmum absolverunt, de aliis, quæ per dies, septimanas, menses annum, imo plures annos durarunt. Ad paroxysmos brevioris termini referuntur ab auctoribus illæ species Singultuum, quæ in infantibus ejulantibus observantur, quæ sponte cessant, ut & etiam illi Singultus diætetici, qui ex vitiis diætæ nascuntur; verum alii diutius ægros cruciant. De Singultu quadraginta horarum in puerpera refert Lanzonius, Dominum Trajanum Delphinum Legum Doctorem, per plures dies Singultu laborasse, & interiisse scribit Schenkius. Forestus loco supra citato memorat de urbis suæ comite, qui quatuor assiduis diebus vexabatur Singultu, & paulo post de quodam Antwerpiano, qui per continuos decem dies ac noctes Singultum habebat. De Singultu duodecim dierum molestissimo, ut nec edere, nec bibere, nec loqui potuerit æger, casum refert Tulpius Libr. IV. Cap. 25. De Singultu vehementissimo per tredecim dies durante, atque tunc ægram interficiente exemplum habet Hoffmannus loco citato §. 14. Epiphanius Ferdinandus Hist. 43. curavit Augustinianum Theol. Prof. qui viginti dies cum mortis periculo Singultu laboravit. Massaria Vicentiæ curavit Tabellarium, qui quadraginta dies Singultu laboravit. Schenkius Libr. III. Observationum refert historiam Singultus trimestris ex

detor-

detorſione coſtarum verſus ventriculum. De Singultu ſemeſtri a frigido hauſtu mentionem facit Riverius De Morb. infreq. Obſ. 1. De Vetula octuagenaria per ſemiannum Singultiente refert Foreſtus loco citato. Singultum per tria anni ſemeſtria ex ſuppreſſione menſtruorum in virgine vidit Cl. Hoffmannus loc. cit. Obſ. 1. Bartholinus Cent. III. Epiſt. 61. refert de muliere adeo graviter Singultiente ultra biennium, ut ipſam a Dæmone obſeſſam crederent incolæ illius pagi. Singultus quatuor annorum exemplum refert idem Bartholinus Cent. II. Hiſt. 4. Tandem (quod omnium mirabiliſſimum eſt) Cl. Hoffmannus loc. cit. §. 20. ſcribit ſe noviſſe fæminam generoſam quadraginta annorum, quæ a viginti annis quotidie Singultu vexatur ſine ſanitatis incommodo.

Rara Singultus qui vult exempla, adeat Cl. Fr. Hoffmannum in Medic. Ration. Syſtem. Tom. IV. Cap. 14. dein Joh. Schenkium in Obſerv. Medic. Rarior. Libr. III. dein Marcellum Donatum in Libr. IV. Hiſt. Med. Mirab. & Ephem. Nat. Cur. in quibus caſus nonnulli rari enarrantur.

§. 37.

Effectus, qui producuntur a Singultu differunt, prout ipſe Singultus differt; & prout cauſæ ejus graviores, vel leviores ſunt. Etenim vix ulli notabiles effectus producuntur ab illo Singultu diætetico, niſi quod pro illo momento, quo paroxysmus durat, deglutitionem & reſpirationem naturalem impediat; Verum graviores producuntur effectus, quando hic morbus diutius durat, vel ex alia majori cauſa originem ſuam agnoſcit, tunc producit multos effectus, eosque fat notabiles. 1°. impedit deglutitionem, reſpirationem, loquelam, ſomnum. 2°. impedit liberum transfluxum ſanguinis per pulmones, ſicque commercium inter cor dextrum & ſiniſtrum ſufflaminat, hinc quia omnis ſanguis tunc ſiſtitur ante pulmones, accumulatur in corde dextro, & vena cava, hinc impeditur reditus ſanguinis a capite, & extremitatibus, unde in ipſis pulmonibus anxietas, quia ſe ab accumulato ſanguine liberare non poſſunt, in facie rubor, in capite dolor ob diſtenſionem vaſorum, in extremitatibus pallor, quia hæ novo ſanguine ex corde ſiniſtro & arteria aorta non reficiuntur, hinc ex turbis in circulatione fiunt turbæ in ſecretionibus & excretionibus, unde deſtructio totius æconomiæ corporis & hinc diſpoſitio in Cachexiam. 3°. in Singultu, ſi diutius durat, idem obtinet, quod in aliis morbis convulſivis, vel ſic dictis morbis nervorum, ſcilicet quod corpus ſenſim ei adſueſcat, ſicque diſpoſitionem quaſi accipiat ad Singultum, quemadmodum id videmus in aliis morbis convulſivis, uti Epilepſia, Paſſione Hyſterica, Hypochondriaca &c. Quo autem Singul-

gultus hic diutius duravit, & majorem dispositionem ad Singultum in corpore produxit, eo difficilior postea est eradicatio & curatio, quemadmodum omnibus notum est.

Tandem si Singultus alios morbos comitatur, producit etiam effectus quosdam ex natura illorum morborum sequentes, sed qui curato morbo priori sponte cessant. Hi sunt præcipui effectus.

§. 38.

Quantum ad signa Diagnostica hujus morbi attinet, hæc cognitu facilia sunt, & per se patent, imo vel pueris & infantibus nota, nam auditu ab adstantibus Singultus hic percipi potest etiam in distans, sic ut si quis semel tantum per vitæ suæ decursum Singultivit, vel aliquem Singultientem vidit vel audivit, facile hunc morbum ab omni alio distinguere & internoscere possit, ita ut aliis signis opus non habeat, imo possumus dicere, nemo est, qui Singultum non cognoscit, nam ab ipso ægro indicatur satis sonitu, & juxta illud notum proverbium, tria sunt, quæ celari non possunt, Tussis, Amor, & Singultus.

Verum difficilius est dignoscere diversas causas remotas, a quibus Singultus producitur, & diversas species Singultus, prout huic vel illi morbo sese jungit, quibus cognoscendis Medicus præcipue operam dare debet, ut juxta harum diversitatem curam dirigere possit. Harum autem signa desumenda erunt ex propria natura horum morborum, vel ex signis cuique morbo propriis, & particularibus. Sic Singultum diæteticum cognoscimus ex vitiis prægressis in diæta commissis. Singultum, qui morbis inflammatoriis se jungit, cognoscimus ex signis horum morborum propriis E. G. ex pulsu duro, celeri, siti magna, urina rubra flammea, debilitate, vigiliis, verbo ex morbo ipso tunc præsente. Singultum ab animi passionibus cognosces ex relatione ipsius ægri: quibus addunt auctores hanc distinctionem, quod si Singultus idiopathicus sit, hunc ex eo dignoscere possimus, quod magis continuus sit, & humorum in ventriculo contentorum signa appareant, & tandem, quod affectio illa tum vomitu sedetur, nam Singultus, qui vomitu sedatur, semper est a materia, seu copia sua, seu qualitatibus pravis ventriculo molesta; Naturam autem humoris peccantis in ventriculo collecti internoscere poterimus ex vomitu, aut ructu, vel oris sapore, aut ex aliis signis: Singultum vero, qui supervenit vulneribus, aut magnis hæmorrhagiis facile cognoscimus, aut ab adstantibus audimus: Quibus addunt veterum sectatores, quod Singultus, qui succedit evacuationibus nimiis fit a siccitate, vel inanitione; dein Singultum a repletione esse cognosces, si repente fiat, nulla præcedente magna evacuatione: Tandem Singultus ex repletione

D fre-

frequentior eſt, ab inanitione contra; quibus additur a Varandæo, quod in Singultu ab inanitione ſonitus ſit magis clangoſus & ſonorus, utpote in re vacua factus, contra vero qui fit in plenitudine eſt magis interceptus, & ſine tanto ſonitu, ob pauciorem ſpiritum, qui eliditur. Quod vero attinet ſigna a Dolæo recenſita, quæ imminentem hunc morbum docent, hæc non ſemper adſunt, & ſi adſunt, tantummodo docent unam illam Singultus ſpeciem, qui oritur ex ventriculo male affecto, qui non magnum periculum ſub ſe habet, hinc ſive ſciantur, ſive ignorentur parum intereſt: Sunt autem ab eo recenſita ciborum nauſea, dolor ventriculi, ac gravitas, & nonnunquam vomitus, & in deſperato caſu concomitantur, vel ſequuntur animi deliquia, & convulſiones univerſales.

§. 39.

Singultum ab omni alio morbo facile dignoſcere poterimus; Etenim nullus fere morbus eſt, cum quo aliquam convenientiam habet, niſi forte cum vomitu & ructibus, ab his duobus autem facile diſtinguere poterimus (ne jam mentionem faciam ſignorum a veteribus recenſitorum) 1o. quod in Singultu ſemper adſit inſpiratio læſa, in vomitu autem & ructu pulmones pro parvo tempore in eodem ſtatu permanent, ſive aërem contineant, nec ne. 2o. in ructu quidem etiam adeſt ſonitus, verum hunc facile a ſonitu Singultuoſo dignoſces, nam in Singultu ſonitus eſt ſubitus, inconditus, & fit quaſi uno momento, in ructu autem ſonitus paulo diuturnior eſt, & tanquam aëris per tubum transeuntis. 3o. in vomitu ſequitur materies, quæ rejicitur, & aër pro momento in pulmonibus retinetur.

§. 40.

Quod attinet ad Prognoſin Singultus, hæc ſane etiam attentione digna eſt, & examen noſtrum meretur, ut ſciamus prædicere, quid poſtea futurum ſit, an ex Singultu, morbis accedente, mala an bona ominari liceat. Singultus enim primo adſpectu quidem leve quid videtur, aliquando tamen multum faceſcit Medico, & generoſa illudit remedia, ſic ut non immerito a Dolæo vocetur affectus periculoſiſſimus, aliquando autem facile & ſponte tranſit, & vix Medici ope indiget, aliquando diu durat, & nullam noxam infert, ſic narrat Cl. Hoffman de Singultu viginti annorum ſine ſanitatis incommodo. Licet autem non periculoſum ſit, tamen valde incommodum eſt ægro. Hinc ut ſciamus, quid agendum ſit, & quænam ſpecies Singultus nobis curanda obviam veniat, ſigna quædam enumerabimus, ex quibus majus vel minus periculum prævidere poterimus. Sic vix periculoſus cenſetur ille Singultus, qui ſolitarius eſt, & hominibus ſanis a cauſa externa contingit, nec ullo alio morbo, vel graviori quodam ſtipatus eſt ſymptomate; dein parum periculi habet ille

Sin-

Singultus, qui originem ſuam habet ex vitiis in diæta commiſſis, vel ex morbis primarum viarum, ex ſe non periculoſis; E. G. ex viſciditate, cruditate, vel acrimonia in primis viis hærente, qui facile curatur, imo ſæpe ſponte, absque Medici auxilio, vel ſupervenienté ſternutatione ſolvitur, notante Hipp. Sect. VI. Aphor. 13. ſternutatio enim vehementiſſimo illo motu humorem ventriculum vellicantem excutit, aut ſi materia fixior eſt, & pertinacius parietibus ventriculi adhæret, accedente vomitu, vel dato emetico vel purgante ſufflaminatur, ſic nec adeo periculoſus eſt Singultus, qui oritur ex nimia ſenſilitate diaphragmatis, vel ex nimia mobilitate ſpirituum, ut pote qui facile per remedia nervina, roborantia, vel opiata curari poteſt: porro nec perterrere debet ille Singultus, qui accidit hyſtericis, utpote qui deſinente paroxyſmo hyſterico ſponte etiam ceſſat: dein etiam non periculoſus eſt ille, qui ex refrigeratione pedum, vel aliarum partium corporis oritur, aut etiam ex potu frigido, ſcilicet dummodo corpori ſudanti non nimia copia & nimia quantitate ingeratur. Sic & periculo vacat ille Singultus, qui accidit infantibus lactantibus, utpote qui tantum pro ſua cauſa agnoſcit vel materiam acidam ventriculum vellicantem, vel nimiam repletionem ventriculi, hinc vomitus his maxime conducit, infantes enim, qui ſæpius vomunt, cæteris paribus ſaniores ſunt, nam per vomitum plures acidæ particulæ ſimul expelluntur: porro non adeo periculoſus cenſendus eſt ille Singultus, qui oritur ex vitiis excretorum. Tandem minime periculoſus eſt ille Singultus, qui criticus eſt, & criſin per vomitum vel alvi fluxum futuram antecedit. Criticum hunc Singultum cognoſcimus, ſi reliqua ſigna ſalutaria ſunt, & in bonum conſentiunt; ſcilicet ſi anteceſſere ſigna coctionis, & ſub ipſo vomitu & Singultu vires conſtantes manent, hinc ille neutiquam ſedandus, vel ſufflaminandus eſt, niſi ultra modum proceſſerit.

Denique dicebant veteres, minus periculoſum eſſe Singultum, qui a repletione fit, & ſæpe curari, quando multa per ventrem evacuantur; contra, qui ab inanitione lethalis, & pro nuncio vel prodromo mortis habebatur juxta Hartmannum.

§. 41.

Plus vero periculi habet Singultus, quando ſupervenit morbis alicujus momenti, & cui vel conjunguntur, vel quem ſequuntur gravia quædam ſymptomata, & in genere poſſumus dicere, quod Singultus alicui morbo ſuperveniens, nunquam aliquid boni præſagiat, & Medico prudenti ſemper metum incutiat ob peſſimas conſequentias; nam a Profpero Alpino inter ſigna, quæ morbos lethales pronunciant, recenſetur etiam Singultus: ſed cæteris paribus tanto periculoſior eſt

Singultus, quo magis inveteratus est, & diutius duravit, quo pertinacius omnibus remediis resistit, & tandem quo magis vires fractæ sunt.

Verum de signis Prognosticis Singultus tam perniciosi, quam non perniciosi tam multa, eaque lectu dignissima habet Prosper Alpinus in libro de Præsagienda Vita & Morte Ægrotantium (passim per totum hunc librum) ut jure merito illuc L. B. relegemus, illumque librum legendum commendemus; excerpturi tantum pauca maxime notabilia, incipiendo primum ab iis signis, quæ Hippocrates memoravit, postea pauca quædam alia adhuc superadditurí.

§. 42.

1°. scribit Hippocrates in Aphorismis suis Sect. v. Aphor. 3. *Sanguine multo effuso, convulsio aut Singultus superveniens malum.* Hic erat ille Singultus ex siccitatate dictus veteribus, qui sequebatur post nimias quascumque evacuationes, quique ab iis fere semper lethalis habebatur, & aliquando convulsionis universalis prænuncius erat.

2°. Sect. V. Aphor. 4. *Purgationi immodicæ convulsio aut Singultus superveniens malum.* Quia convulsiones universales, vel epilepsiam imminere indicat, denotat enim nervosos illos & sensilissimos intestinorum parietes ab acrimonia purgantium inflammatos esse.

3°. Sect. v. Aphor. 58. *Hepati inflammato supervenit Singultus*, quem mali ominis esse scribit Sect. VII. Aphor. 17. Non autem semper inflammationibus hepatis supervenit Singultus, sed quando illæ magnæ sunt, aut jam aliquamdiu durarunt absque resolutione, sed metus est, ne in gangrænam terminentur, unde si inflammationibus hepatis accedit Singultus, semper mali ominis est signum, denotat enim vel inflammationem valde magnam, sic ut omnis humorum copia hic sistatur, unde hepar in magnam molem exturgescens valde comprimit diaphragma, atque comprimendo irritat, vel inflammationem jam in gangrænam terminantem, sic ut ab humoribus, jam acribus redditis, & in tabum putridum resolutis irritetur diaphragma ad contractionem convulsivam.

4°. Sect. VI. Aphor. 13. *A Singultu detento sternutationes supervenientes solvunt Singultum*, quod imprimis obtinet, si Singultus oriatur ex causa leviori, vel in ventriculo, vel in diaphragmate, nam sternutatio motu suo vehementi humorem, ventriculum vellicantem excutit, aut si causa hæret in diaphragmate, tunc eatenus sufflaminat Singultum, quatenus contrariam Singultui convulsionem excitat; sternutatio enim est fortissima aëris exspiratio, sic juxta notum illud Axioma, Contraria Contrariis tolluntur. Ita enim videmus, spasmum unum tollere alium, nam si quis E. G. laborat colica intestinorum fortissima, qui morbus spasmodicus est habendus, si huic ap-

pli-

plicentur abdomini externo cucurbitæ colicam curant: Hæ autem non alio modo agunt, nisi inducendo spasmos in partibus his externis, sicque avocando impetum humorum a partibus internis, ita unus spasmus, vel una convulsio tollit aliam.

5°. Sect. VII. Aphor. 3. *A Vomitu Singultus, & oculi rubri malum.* Qui enim Singultus fit a materia, ventriculo molesta, eumque irritante, cessat, si hæc materia vomitu rejicitur, verum si humoribus vomitu rejectis Singultus adhuc perdurat, aut sub vomitu, vel post vomitum demum se manifestat, denotat tum ventriculum vel cerebrum inflammatum esse. Non autem loquitur hic loci Hippocrates, de illo rubore oculorum, qui conatus vomendi semper comitatur, & postea sponte transit, sed de illo constanti rubore, qui inflammationis quid simul monstrat.

Juxta dicta veterum hic Singultus, vomitui superveniens, nihil mali portenderet, nam quum juxta illos Singultus sit majus conamen naturæ quam vomitus, denotaret simpliciter materiam tunicis ventriculi tam firmiter impactam esse, ut per vomitum excuti nequeat, sed opus esse naturæ excitare Singultum, ut hic vi majori materiam impactam excutiat.

6°. Aphor. 10. Sect. VII. *Ab Ileo Vomitus aut Singultus aut convulsio, aut delirium malum.* De his omnibus symptomatibus si superveniunt Ileo pessime præsagire debemus, imprimis Singultus Ileo morbo superveniens denotat, causam vehementem esse, quæ Ileum produxit, quæ suam irritationem usque ad ventriculum & diaphragma propagare, atque ibi Singultum producere potuit, Singultus autem superveniens Ileo præsagit, quod ægri sint vomituri stercus.

7°. Sect. VII. Aphor. 41. *Si senioribus nimium purgatis Singultus superveniat, non bonum.* Quum enim (ut supra patuit) omnibus hominibus mali ominis sit Singultus purgationi nimiæ superveniens, utpote symptoma periculosissimum, tamen præcipue malum est senibus. 1°. propter virium imbecillitatem, & quia hoc symptoma post hypercatharsin accedens summam virium dejectionem denotat, 2°. quia senes habent strictiorem compagem solidorum, unde convulsiones (qualescunque sint) difficulter & non sine insigni noxa ferunt. Convulsio enim senibus est morbus incongruus, hi autem semper periculosiores sunt habendi, quam congrui, infantes enim (quibus convulsio morbus congruus dici potest) ex levi causa in convulsiones incidunt, & iterum absque insigni remanente noxa inde liberantur, verum id non ita obtinet in senibus, unde semper in senibus Singultus accedens Medicis metum incutit. Forestus tamen Libr. XVIII. Obs. 12. refert casum de vetula quadam octuagenaria, jam per semiannum Singultiente, absque gravi alio superveniente incommodo, & quæ vetula postea reli-

cto Singultu adhuc supervivebat eo tempore, quo Forestus hæc scripsit. Verum hic casus tanquam rarissimum exemplum a Foresto memoratur, & certe valde rarum est.

§. 43.

Visis nunc signis Prognosticis de Singultu ab Hippocrate in suis Aphorismis exhibitis, videndum erit an Singultus etiam aliis morbis se jungat, & quid ibi præsagiat.

Ita jungit se febribus cujusvis generis intermittentibus (in febre quartana Singultus est signum lethale, scribit Musitanus) acutis, continuis, ardentibus, inflammatoriis, putridis, malignis, pestilentialibus, & in his semper periculosum est symptoma, nisi fiat ob crisin instantem: Sic enim (quemadmodum antea diximus) aliquando indicat crisin per vomitum vel diarrhæam futuram, verum tunc signa coctionis materiæ morbosæ ut præcesserint necesse est, & Singultus cum virium constantia accedere debet; Ast si hæc signa non adfuerint, sed contra hæ febres aliis malis symptomatibus stipatæ sint, quemadmodum siti maxima, pulsu celeri, citato, inquietudine, delirio, aut nervorum distensione, & Singultus in principio aut incremento horum morborum accedat, semper pro valde periculosis morbis haberi debent, testatur enim Vallesius, se nullum vidisse servatum, qui extenuatus vel febre ardente, aut maligna decumbens Singultu correptus fuit. Singulare tamen exemplum notavit Forestus de quodam, qui post febrim continuam, alvi fluxum ac vomitum in Singultum incidit, quem ab omnibus deploratum ipse Forestus curavit cyatho uno decocti ex Semine Anethi, Carui, Portulacæ & Papaveris albi in cerevisia tenuiore: in peste autem si Singultus supervenit semper lethale est, sic dictante Ysbr. de Diemerbroek Libr. 1. de Peste Cap. 15. qui scribit, se nullum Singultientem in peste servatum vidisse, medicamentis etiam plurimis diligentissime adhibitis. Ita etiam periculosum symptoma est Singultus, qui supervenit inflammationibus validis viscerum nobiliorum. E. G. diaphragmatis, ventriculi, intestinorum, hepatis (quod antea jam ex Hippocrate annotavimus) lienis, mesenterii, renum, uteri, & aliorum, vel qui aliis morbis harum partium accedit, sic malus est, qui oritur a scirrho æsophagi, vel qui aphthas antecedit, vel concomitatur, aut etiam si oritur post quam aphthæ jam aliquamdiu deciderunt. Porro valde pertimescendus est Singultus, qui post vomitum longum, diarrhæam, dysenteriam, & hypercatharsin immodicam & dolorificam oritur, vel qui sequitur post exhibita acriora purgantia, emetica, vel venena, dein lethalis fere semper est ille, qui membranis cerebri læsis inflammatis, vel vulneratis supervenit. Porro periculosum symptoma est Singultus in marcore,

core, extenuatione, in morbis ſoporoſis, caro, ſomno profundo, in animi deliquio, aut tetano obortus, mortemque non longe abeſſe indicat. Dein peſſimus eſt Singultus, qui ſequitur diarrhæas vel dyſenterias cohibitas, & retropulſam materiam podagricam, arthriticam, eryſipelatoſam, porro qui pertinaci alvi ſuppreſſioni, morbo iliaco, contumaciori herniæ, aut aliis inteſtinorum doloribus vehementibus ſe jungit, innuit enim imminentem vomitum ſtercoris, ſic juxta Hoffmannum mortiferæ ſunt Singultuoſæ febres ſenum hernioſorum, quum nulli ferme medelæ locum relinquant. Tandem ſi quis aphonos fit (ſine loquela) Singultus ſuperveniens malum eſt.

§. 44.

Singultus ſæpe ſponte per naturam ſolvitur vomitu, ſcilicet quando originem ſuam habet a materia acri vellicante, ventriculo contenta, quæ tunc vomitu rejicitur, ſolvitur etiam aliquando ſuperveniente diarrhæa larga, ſolvitur etiam aliquando diuturna ſternutatione, notandum tamen eſt, non omnium Singultuum genera ſternutatione ſolvi, hæc enim ſternutatio ſi ſupervenit, plerumque ſupervenit illi ſpeciei Singultus, qui non a morbo pertinaci originem ſuam habet.

§. 45.

Tandem pergimus ad curam Singultus, verum quoniam tota curatio conſiſtit in ablatione cauſarum, hinc quia cauſæ variæ & admodum diverſæ ſunt, curatio etiam non eodem modo ſemper inſtituenda eſt, hinc Medici eſt inquirere in cauſas Singultus, & earum ſigna. Hæ cauſæ quoniam plerumque ſunt morbi aliarum partium, hinc conſideratio eorum morborum ex illorum ſingulari hiſtoria petenda eſt, & morbis his curatis Singultus ſymptoma ſponte ceſſabit.

1°. Dicendum eſt de curatione Singultus illius diætetici, vel transitorii, qui homines cæterum ſanos affligit, & nullo alio morbo ſtipatus eſt. Ad hunc compeſcendum vulgus plura habet remedia, quæ quidem vilia videntur, ſed quæ tamen ex teſtimonio nonnullorum auctorum certa ſunt, & absque omni dubio Singultum tollunt.

1°. commendantur hic tria illa remedia, a Platone deſcripta, ſcilicet retentio Spiritus, potus aquæ frigidæ, & ſternutatio, quæ Eryſimachus Medicus exhibuit Ariſtophani, qui quum in convivio quodam Singultu fere rumperetur, juſſit Eryſimachus Ariſtophanem

1°. ſpiritum ſuum diu cohibere, & interea fortiter ac ſæpe deglutitionis actum exercere, ac ſi quid in palato hæreret, ut ſic violenter tenſo diaphragmate, & quaſi ſpaſmodice contracto, concuſſio ejus convulſiva impediretur, verum dum hoc remedium nihil juvabat, aquam frigidam bibendam dedit, ut ſi cauſa forte hæreret in ventriculo,

culo, ibi per frigus aquæ, ſubito in ventriculum deſcendentis, irritatione producta, exinde irritatio in diaphragmate ſufflaminaretur, ſed quum neque & hoc juvaret, juſſit poſtremo ſternutationem ciere, ut hæc ſua forti concuſſione (juxta explicationem veterum) humores ventriculi tunicis infixos elideret, vel potius ut inducendo diaphragmati convulſionem, quæ Singultui contraria eſt, ita diſpoſitionem in diaphragmate ad Singultuoſam convulſionem aboleret, Singultus enim fit inſpirando, dum ſternutatio exſpiratione abſolvitur, vel quoniam in ſternutatione eſt motus fortior quam in Singultu, dici poſſet ſpaſmus major tollere minorem, quemadmodum dolor major minorem tollit, ut ſic per fortiorem convulſionem in diaphragmate per ſternutationem excitatam, minor convulſio Singultiva ſufflaminaretur, atque hoc remedio feliciter Singultum curavit. Licet autem in Ariſtophane duo priora remedia, retentio ſcilicet ſpiritus, & potus frigidi hauſtus nihil juverint, tamen in aliis ſubjectis æque feliciter tollunt Singultum, quam ſternutatio, nempe ſi non oriatur a cauſa majori, tunc enim ſternutatio æque parum valeret, imo malum potius augeret. Sic Singultus tranſitorius etiam ſufflaminari poteſt, ſi quis capite ad anteriora inclinato bolum cum vi deglutit. Porro habet vulgus adhuc alia quædam remedia, valde experta, quemadmodum referunt auctores, inter illa eſt, digiti medici dextri utrimque ad latera compreſſio; alii digitum hunc in utraque manu comprimere jubent, dein ventriculi & hypochondriorum conſtrictio per faſciam latam, totum abdomen ambientem, porro apertio & diductio oris quantum fieri poteſt, dein ſi Singultienti referatur funeſtum quoddam nuncium E. G. de morte alicujus conſanguinei vel amici. Plura ſunt ejusmodi ridicula remedia, quibus tamen Singultus cedit, cujusmodi etiam eſt, ſi jam quis Singultire incipit, & quemvis Singultus paroxyſmum numerat, tunc ſtatim ceſſat Singultus, etiam mox in prima Singultatione, adeo ut plerumque non opus ſit ſecundam vel tertiam numerare, ſi vero erratur in numero, quemadmodum ſæpius fit, quod quis primam non animadvertat, & ſecundam vel tertiam putet eſſe primam, tunc nihil juvat, de quo remedio videatur Muſitanus, qui refert hoc experimentum tam certum eſſe, ut vix unquam fallat. Quid hac de re ſit, dicere non poſſum, quia per experientiam non habeo. Alii ad materiam Singultus diſcutiendam, aut ex ventriculo, ſi ei inhæret, excutiendam, plura addunt, ut ſtatum corporis erectum, dein vociferationem, clamorem, ſternutationem, deambulationem concitatam, geſtationem, atque equitationem, ut & ſubitum terrorem, metum, iram, gaudium, aut aliud quoddam vehemens animi pathema in

ægro

ægro excitare: Raram obſervationem hac de re habet Lanzonius, de juvene quodam pertinaci Singultu laborante, qui curatus fuit ab alio juvene, qui eum ex improviſo alapa percutiebat; refert Valleriola notante Diemerbroek Lib. 11. Obſ. 4. ſe in quodam Singultum graviſſimum ac contumacem, qui nullis remediis cedebat, terrore ſubitaneo incuſſo curaſſe: porro aquæ gelidæ in Singultientis faciem injectio, ut inde terror concipiatur, a quo ſpiritus retentio, & per conſequens Singultus ablatio. Dein frictiones & motiones in auribus, factæ digito auriculari. Nonnulli arctiſſime filo conſtringunt digitum minimum: alii immiſſo cereviſiæ cultro, ejus hauſtum uno inſpirationis actu deglutiunt, verum hoc non curat ratione cereviſiæ nec cultri, ſed quia magno hoc hauſtu valde diſtenditur œſophagus, & per retentionem ſpiritus tenditur diaphragma, quod qua ratione Singultum curare poſſit, antea in definitione demonſtravimus. Tandem curari etiam poteſt Singultus per dolorem in alia quacunque corporis parte excitatum, vel per ſedulam alicujus rei meditationem. E. G. ſi quis attentius perſonæ, quam amat, & a qua redamatus eſt, recordatur, Singultum tolli, experimentum in vulgus notum eſt. Plura inveniuntur hujus naturæ remedia apud auctores, ſed ſuperſtitioſa ſunt.

§. 46.

Sectatores veterum, qui Singultum ex inanitione & repletione oriri putabant, facilem ſtatuebant Singultus curationem, nam ex mente Hippocratis Sect. 11. Aphor. 22. *A repletione quicunque fiunt morbi evacuatio ſanat, & quicunque ab evacuatione, repletio*, hinc ad has duas cauſas corrigendas & auferendas, tantum remedia ſua dirigebant; contra Singultum ex repletione commendabant vomitum, excitandum per largum hauſtum aquæ tepidæ cum oxymelle ſquillitico, vel ſi quis vomere nequibat, commendabant purgans, & venæ ſectionem inſtituebant; hæc remedia mutabant, prout cauſa repletionis erat calida vel frigida, repletionem calidam vocabant plethoram, frigida autem erat cacochymia, hinc in priori caſu adhibebant vomitoria & purgantia antiphlogiſtica, in altero caſu commendabant fortiora, qualia ſunt vomitoria ex Antimonio & Vitriolo, & purgantia ex Jalappa, Scammoneo, Colocynthide, Helleboro &c. vel etiam dabant aliqui diuretica & ſudorifera, prout indicatio ferebat. Ubi vero per inanitionem Singultus erat excitatus, tunc omnem curam convertebant eo, ut evacuationem illam reprimerent & ſiſterent; poſtea cohibita evacuatione exhibentes illa, quæ bene nutriunt, & boni ſucci ſunt, cujus generis eſt lac variorum animalium, dein jura carnium, panis triticeus bene fermentatus, dein emulſiones ex amygda-

lis & similia, & si acrimonia quædam simul in causa erat, huic contraria remedia simul adhibebant.

§. 47.

Quantum vero ad curationem Singultus attinet, hic habemus tantum unam indicationem, scilicet ut tollamus causas Singultus, quæ quoniam diversæ sunt, hinc non semper eadem methodus medendi adhiberi potest, sed cura mutanda est, prout ipsa causa variat, incipiemus 1o. a cura Singultus idiopathici, qui originem suam habet ex nimia sensilitate diaphragmatis.

Hic 1°. curandum est, ut res sic dictæ non naturales justo & legitimo ordine administrentur. Igitur aër sit purus, temperatus, ab omnibus particulis fœtidis, peregrinis, & exhalationibus putridis & acribus, quantum fieri potest, immunis, siccus, non nimis calidus, nec nimis frigidus, nam aër nimis calidus acrimoniam humorum augere potest, si nimis frigidus est, sola hac qualitate convulsiones & Singultum inducere potest. Si autem his qualitatibus aër imbutus non sit, corrigi potest incensis lignis siccis, resinosis, E. G. Quercino, Juniperino, Guajaco, Ligno Aloës &c. aut incendantur resinæ quædam & fructus, qualia sunt Mastiche, Thus, sive Olibanum, Gummi Animæ, Succinum, Styrax Calamita, Baccæ Lauri Juniperi &c.

Cibus omni salsedine, & acredine noxia immunis esse debet, ergo prosunt Lac, Juscula Carnium imprimis juniorum, dein Ova sorbilia, fructus horæi bene maturi, panis bene fermentatus, aut etiam bis coctus; nocent omnia, quæ acria, acida, vel salsa sunt, quemadmodum piper & vinum, nam devorato pipere, & desuper hausto vino Galenus ex testimonio Gorræi in *Definitionibus Medicis* quotiescunque volebat, sibi Singultum excitare poterat, porro nocent carnes & pisces saliti, & fumo indurati, nocent dein leguminosa non fermentata, quemadmodum pastæ ex pane non fermentato, dein fabæ, pisa, poma terræ, castaneæ & similia: hæc enim indigestile præbent alimentum, sicque ventriculum cruditatibus replent. Potus sit lac, serum lactis, cerevisia meracior ast recens, & bene fermentata, dein vinum aqua dilutum, & tandem decoctum vel gelatina Cornu Cervi, vitanda sunt acida, acria & flatulenta.

Motus sit temperatus in aëre puro, si ægri conditio ferat, absque metu ingravescentis paroxysmi, alioquin quies exacta observetur eousque, donec parum remiserit morbus, moderatus enim corporis motus præ omnibus convenit, sed immoderatus, & intempestivus omnino vitandus est.

Somnus largior naturali concedi potest, quia plerumque sub somno

mno Singultus cessat, ergo ut saltem eo tempore æger a paroxysmo immunis sit, præterea somnus egregie convenit in omnibus morbis spasmodicis & convulsivis, pacat enim & mulcet systema nerveum: itaque si somnus naturalis non obrepit, Opiatis conciliandus est; hic incipere possumus a lenioribus, Syr. Papav. Albo, Pil. de Styrac. Cynogl. &c. quæ si non juvant, ulterius adscendere possumus, & tandem ipsum opium exhibere, verum de his latius postea sub cura palliativa.

Vigiliæ nimiæ (ut sponte patet) vitandæ sunt, etenim ab his solis convulsiones & Singultus oriri possunt.

Excreta & retenta in naturali suo statu arte vel natura conserventur. Animi pathemata, quantum fieri potest coërcenda sunt, nocent enim valde in hominibus mobilibus, nam ex animi passionibus E. G. ex terrore, metu, ira &c. sæpe Singultum produci, demonstravimus antea; fateor commendantur a nonnullis auctoribus eo in casu, ubi jam Singultus adest, tuncque aliquando morbum tollunt, sed si non juvant, morbum multo pejorem, imo fere insanabilem reddunt, hinc præstat ab his periculosis remediis abstinere, quoniam securiora ad manus habemus: Unice quæ hic convenirent pathemata essent spes, & desiderium, utpote quæ erigunt hominem, & perspirationem æquabilem faciunt, atque omnes excretiones retentas in pristinum & naturalem statum restituunt.

§. 48.

Porro ex Pharmacia habemus hic nonnulla. 1o. si sordes adsunt in ventriculo & primis viis, & æger est εὐέμετος, detur Emeticum aliquod lene ex Rad. Ipecac., Oxymelle Squillitico, vel similibus, cum magna quantitate aquæ tepidæ mellitæ, aut detur Purgans lene ex Manna, Rheo, Foliis Sennæ, & similibus. Hæc Purgantia vel Emetica respectu subjecti, ætatis, & virium varianda, & mitiora, vel fortiora exhibenda sunt: post has evacuationes convenit vesperi dare hypnoticum aliquod, ut omnes excitatas turbas sedemus. Verum de illis, quæ ante & post vomitum, ac sub ipso vomitu observanda sunt, & conveniunt, videantur Exercit. Pract. Fr. Dekkers pag. 114. & seq. si autem æger plethoricus sit, instituatur prius Venæ Sectio, dein conveniunt medicamenta roborantia, nervina, anti-epileptica, cephalica, carminantia (quia aliquando adsunt flatus) & narcotica, qualia sunt herbæ Rosmarinus, Majorana, Origanum, Pulegium, Salvia, Thymus, Mentha, Flores Lavendulæ, Rosmarini, & imprimis Semina Anethi, quæ tanquam specificum ab omnibus fere auctoribus commendantur, dein aromata, Cinamomum, Macis, Nux Myristica, Caryophilli, porro Castoreum, Succinum, &c. hæc omnia agunt sti-

mulando, ſed habent ſtimulum, partibus noſtris amicum.

Hæc pro lubitu Medici, & ex delectu ægri variis ſub formis exhiberi poſſunt, forma Mixturarum, Tincturarum, Elixirium, Spirituum, aquarum deſtillatarum, vinorum Medicatorum, vel ſimilium. tandem in Transactionibus Anglicanis etiam ad curationem hujus affectus, valde commendatur Moſchus, in quibus varia exempla felicis ſucceſſus proſtant: poteſt dari forma Electuarii, Pilularum, aut etiam, forma mixturæ, vulgo exhibetur ad gr. xv. vel xvi.

Dein habemus hic remedia quædam generalia, quæ Singultum tollunt, & egregie partes læſas, & labefactatas reſtituunt, imo in totum diſpoſitionem ad Singultum tollunt; talia ſunt Lac & Aquæ Medicatæ Fontium. Inter varias lactis ſpecies commendatur. 1°. Lac humanum, cujus proſperi eventus in curando Singultu exemplum proſtat in Ephem. Nat. Cur. Vol. iv. Obſ. 33. De ſene quodam ſeptuaginta & ſex annorum, qui Singultu diutino & moleſtiſſimo vexatus, fruſtra adhibitis pluribus remediis, & viribus indies magis magisque attritis, tandem eo deductus eſt, ut omnes de vita ejus & ſanitate deſperarent, tandem quidam amicus ejus ſuaſit curam lactis, quod quum annuebat Medicus, exſuxit lac ex mammillis filiæ ſuæ, a cujus uſu aliquamdiu continuato, contumax ille Singultus ceſſabat, & ſenex priſtinæ ſanitati reſtituebatur. Lac Humanum excipit Aſininum Lac, dein Caprillum, (quæ duo commendantur a Foreſto Libr. xviii. Obſ. 12. a Joële autem præfertur Lac Caprillum, recens emulctum & jejuno ventriculo hauſtum) & tandem Bubulum; verum de modo adhibendi hic ſpeciatim agere nequaquam vacat, ſufficiat tantum ſimpliciter enumeraſſe. Inter aquas medicata vi prægnantes hic inprimis commendantur Aquæ Spadanæ, Selteranæ & Pyrmontanæ: mitiſſimæ ſunt Selteranæ, & ab omnibus ferri poſſunt, fortiores Spadanæ, omnium fortiſſimæ Pyrmontanæ.

Externe regioni ventriculi applicari poſſunt illa, quæ ventriculum & diaphragma corroborare poſſunt, additis ſimul diſcutientibus, & penetrantibus, veluti ſacculi, epithemata, illitiones, emplaſtra, additis anodynis, & narcoticis, ita ſummo cum ſucceſſu ſæpe applicatur Emplaſtrum de Theriaca, addito Oleo Macis, vel Nucis Moſchatæ, vel Oleo cocto, aut ſtillatitio ſeminis Anethi, dein inter remedia externa jure etiam commendantur cucurbitæ ventoſæ, aut cucurbitæ cum multa flamma, ſi magna cucurbita, quæ fortiter trahit, regioni epigaſtricæ applicatur. His remediis rite, & debito ordine adhibitis Singultus procul dubio ceſſabit, ſi autem non ceſſet, palliandus eſt Opiatis, de quibus poſtea.

Hic autem tantum ſummatim propoſuimus medicamenta, quæ contra

tra Singultum conducere possunt; cæterum latius de cura videri possunt Musitanus, Sennertus, Riverius, Forestus, Dolæus, Etmullerus, Sylvius, Platerus, Joël, & Fr. Hoffman, qui hic instar omnium esse potest: de illis quæ vitanda sunt in Singultu videatur Albertus.

§. 49.

Si Singultus est a concepto frigore, vel a cohibita perspiratione, oportet omni modo hanc revocare, aut materiæ peccanti per alias vias exitum monstrare. Conveniunt hic diæta ordinatissima, aër tepidus, somnus longior, potus largus infusorum vel decoctorum ex radicibus, herbis ac floribus leniter aperientibus, diaphoreticis, & diureticis, quæ resolvunt, & simul non valida vi stimulant ac pellunt, inter illa eminent Rad. Gramin. Fænic. Bardan. Scorzon. Levist. Sarf. Parill. Chin. Guajac. Santal. Herb. Fumar. Saponar. Taraxac. Flor. Borrag. Bugloss. Violar. Paralys. & similia, additis illis, quæ vi leniter carminativa agunt, quemadmodum sunt semina quatuor calida majora & minora, hæc infundantur vel leviter decoquantur in aqua vel lacte, aut sero lactis, vel etiam lac, & serum lactis tepidum per se exhiberi possunt. Porro conveniunt hic frictiones & fotus partium affectarum: pro fotu hic conducit aqua pura tepida, vel cui priora incocta sunt, vel serum lactis cum similibus, aut lac tepidum cum sufficiente quantitate saponis veneti, quod omnium emollientissimum est: dein prodest manus & pedes aquæ tepidæ immergere, aut etiam ipsa balnea tepida adhibere, quæ in hoc casu quemadmodum & in omnibus aliis morbis spasmodicis & convulsivis miri successus deprehenduntur, nam hæc diaphoresin provocant, & partes spasmo constrictas laxant. Quanti usus sint balnea tepida in curando Singultu, patet ex Riverio Obs. Infreq. 1. qui talem Singultus speciem, qui per biennium infestaverat, balneo tepido feliciter curavit. in omnibus his autem summi usus est alvum liberam servare & ab omni saburra acri liberare, nam cutis & primæ viæ inter se consentiunt.

Tandem si forte ex nimio usu aquosorum & emollientium partes nimis laxatæ fuerint, sublato Singultu ad roborandas partes debilitatas conveniunt stomachica, carminantia, roborantia, cephalica, & nervina, qualia sunt Rad. Helen. Gentian. Imperat. Zedoar. Galang. Calam. Aromat. Crocus, Succinum, Myrrha, &c. dein conditæ radices Zingib. Helen. Nuc. Moschat. Cort. Aurant. Dein vinum aromaticum, aut sic dictum Hippocraticum, porro Spiritus abstracti ab omnibus ante dictis carminantibus, roborantibus, cephalicis, addita debita copia vehiculi, quod desumi potest ex aquis destillatis horum & similium. possunt & hæc forma Tincturarum, Essentiarum,

Elixirium, Oleorum vel similium etiam adhiberi.

§. 50.

Si Singultus causa est nimia copia alimentorum, in ventriculo remanentium, unde ventriculus distenditur, & orificium ejus superius vellicatur, convenit 1°. abstinentia & victus tenuis per unum, alterumve diem, aut si hoc non juvat, alimenta hæc evacuare, si fieri possit. Hic præ omnibus conducit vomitus, verum examinandum est, an talis æger facile vomat, nec ne, qui enim ad vomitum non sunt proclives, vel a vomitu abhorrent, non facile ferunt Emetica, vel alia mala symptomata oriuntur, hinc in eo casu præstat dare purgans aliquod. Signa ex quibus cognoscimus, convenire Emeticum, sunt gravitas in ventriculo, anxietas, dolor capitis, nausea, Singultus, & saliva magna copia in os influens: si concluditur dare emeticum, conveniunt leniora, (nam fortia nimios tumultus excitant in corporibus his mobilibus.) ex Scylla, Ipecacuanna, Oxymelle Scyllitico, vel similibus, addita magna copia aquæ tepidæ mellitæ butyratæ, quæ post singulos vomitus repeti debet, indicatio enim tantummodo est liberare ventriculum a mole ipsum gravante, hinc & nulla opus est præparatione, in infantibus sufficit fauces irritare digito vel penna; Verum si ægri idiosyncrasia talis est, ut non facile ferat Emetica, convenit dare Purgans, etiam lene tantummodo ex Rhabarbaro, Manna, Pulpa Cassiæ, Tamarindorum, Electuar. Cholag. vel similibus, quod mutari potest, prout circumstantiæ variant, ut autem tanto citius liberemus ventriculum, & anxietates tollamus, convenit simul injicere clysma, ut materiam tanto citius deorsum trahamus, quod inprimis in infantibus locum habere potest; in his magis conveniunt dulcia, Syr. Cichor. cum Rheo. Syr. Rof. Sol. cum Senna, (qui & aliquo modo carminativus est) Syr. Rof. Pall. & similes. Verum si materia ventriculo contenta acrimoniam quandam habet, aut dum antea lenis quidem fuit, sed aliqua stagnatione in ventriculo, in acrimoniam degeneravit, oportet medicamenta acrimoniæ huic contraria exhibere, hinc si acida est, dentur alcalescentia, & vice versa; convenit tum etiam ante instituendam evacuationem materiam præparare, quod fit medicamentis resolventibus, attenuantibus, & amaricantibus, dando simul, quæ opposita sunt naturæ mali, aut si nulla acrimonia cognita peccat, conveniunt in genere salia sic dicta digestiva, Nitrum, Sal Prunellæ, Polychrestus, Tartarus Vitriolatus, & in genere omnia Salia neutra, quæ cum appropriata aqua stillatitia, sero lactis, vel cum antedictis decoctis exhiberi possunt, ex quibus exhibitis aliquando sponte producitur vomi-

mi-

mitus, vel diarrhæa; si hoc non fit, detur emeticum vel purgans prout indicatio fert.

Quando vero Medicus dubitat, an conveniat purgans, vel emeticum, sumat dimidiam dosin purgantis, & dimidiam emetici, & hæc simul juncta exhibeat, tunc natura viam monstrabit, per quam materia evacuanda est; convenit hic post finitam evacuationem sub noctem dare hypnoticum aliquod, vel lene narcoticum ex Pil. de Cynogl. vel ex Opio puro ad gr. ß vel 1. vel Tinct. Opii, vel Laud. Liq. Sydenh. cum appropriata aqua stillatitia, aqua menthæ hic commendatur præ cæteris, & si simul acrimonia quædam cognita adfuit, huic contrarium aliquod addi potest, ut si forte non in totum eliminatum fuerit acre, id quod remansit iners reddatur.

§. 51.

Si vero ventriculus nimia quantitate potulentorum gravatur, conveniunt spirituosa lenia, parva copia exhibita, ut sic ventriculus fere in atoniam deductus stimuletur ad eliminationem horum versus inferiora; quando pylorus spasmodice constrictus est, dentur olea pressa lenia, quemadmodum oleum amygdalarum dulcium, cui pro leni stimulo addi possunt guttæ aliquot, duæ, tres vel quatuor olei stillatitii seminis anethi, menthæ, aurantiorum vel similium. Diluentia, quæ in aliis casibus conducunt ad resolvendos spasmos, in hoc casu non conveniunt, his enim ventriculus magis adhuc distenderetur.

Si materia crassa, viscosa, pituitosa causam dat, dictis medicamentis jungenda sunt aperientia, attenuantia, incidentia, detergentia, aromatica, & leniter calefacientia, imprimis salia fixa per incinerationem præparata ex Absinthio, Centaurio, Scordio, Genista, Carduo Benedicto, & tandem expulsa materia conveniunt stomachica & carminantia. Si Singultus est a materia ventriculo contenta rodente, vellicante, hæc revellenda, emendanda, vel evacuanda est. E. G. si materia alcalica est, conveniunt præter anodyna, & generalia ante-acria & oleosa, julapia ex decocto hordei cum acescentibus, si acida est, conveniunt terrea, & alcalescentia; verum de his videatur Cl. Boerhaave in Aphor. de Cognosc. & Cur. Morb. in primis capitibus.

Si Singultus est ex nimio usu julapiorum acidorum & refrigerantium, imprudenter exhibitorum, hanc speciem Schenkius haustu vini feliciter sustulit.

§. 52.

Si causa Singultus fuerit nimius vomitus, sive ab exhibito vomitorio fortiori & drastico, sive ab aliquo acri ingesto, convenit vomitum hunc sedare per lenia Oleosa, demulcentia, carminantia, &

quæ

quæ ſimul leviter verſus inferiora ducunt, dein ſtomachica, aqua menthæ, vinum rhenanum, anti-emeticum Riverianum, quod fit ex ſucco citri, & ſale quodam alcalino, ſimul miſtis, & in ipſo actu effervefcentiæ epotis, & tandem opiata.

Si Singultus ab hellebori nimio uſu excitatus eſt, ſpecificum antidotum eſt miva cydoniorum ex teſtimonio Horſtii.

Si vero nimia diarrhæa in cauſa eſt, convenit, ſi materia acris adhuc adeſt in inteſtinis vel ventriculo, dare purgans, ſed tale, quod ſimul roborat, ut Rheum, dein roborantia, adſtringentia, demulcentia, oleoſa, opiata, & ſimilia conveniunt.

§. 53.

Porro ſi Singultus ſit ex nimio motu diaphragmatis, nimiis vigiliis, aut ex animi paſſionibus, convenit quies corporis & animi, dein pacare ſyſtema nerveum per opiata, & adhibere ſimul medicamenta lenia, humectantia, refrigerantia, interim cauſam ſi nota eſt tollendo, ſi fieri poteſt; in animi pathematibus convenit divertere animum ratione vel minis, dein excitare animi paſſionem priori contrariam, quemadmodum ſi Singultiens valde iratus eſt, ipſi incutere metum, ſi fit ex amore, ipſum in odium ferre ſubjecti adamati.

Tandem ſi Singultus oriatur a veneno quodam adhibito, talia ſunt adhibenda, quæ venenum hoc immutare, eliminare, vel enervare, & iners reddere poſſunt; hinc ſi natura ejus nota eſt, adhibeantur contraria, quemadmodum ſi quis per infortunium aſſumpſit Spiritum Vitrioli, convenit dare Oleum Tartari per deliquium dilutiſſimum, ne nimia effervefcentia ventriculo noceat, ſimul dando ea, quæ leniunt, & demulcent, aut etiam dare poſſumus ſaponem venetum, qui egregie hic convenit, nam ratione ſalis alcalini, quem continet, oppoſitus eſt acrimoniæ acidæ olei vitrioli, ratione olei vel pinguedinis egregie ventriculum oblinit, & contra acrimoniam venenorum defendit, ab hoc etiam non tanta effervefcentia metuenda eſt, nam continet ſalem oleo involutum.

Eadem ratione procedimus, ſi forte per infortunium ingeſtum ſit aliquod alcalinum, exhibendo ei contraria aceſcentia vel acida; Verum ſi natura veneni ingeſti nos latet, conveniunt generalia demulcentia, oleoſa, mucilaginoſa, pinguia, quibus acres veneni particulæ involvuntur, & obviſcantur, & ſimul parietes interni ventriculi & inteſtinorum contra acrimoniam acrium vel venenorum defenduntur, his addere poſſumus opiata, ut ſpaſmos præcaveamus vel tollamus.

Si autem Singultus ſymptomaticus eſt, & ex aliis morbis originem ſuam habet, curabitur ex hiſtoria horum morborum.

§. 54.

§. 54.

Huic primæ indicationi a nonnullis additur altera, ſcilicet mitigatio ipſius paroxyſmi Singultuoſi. Fateor hac indicatione nobis non opus eſſe, ſi ſatisfacimus primæ, nam juxta illud axioma, ſublata cauſa tollitur effectus, id eſt ipſe morbus, qui eſt effectus cauſæ: Verum aliquando Singultus paroxysmus adeo vehemens eſt, & tam moleſtus ægrotanti, ut Medicus de morte ægri ſollicitus ſit, vel cauſæ Singultus ſæpe adeo intricatæ ſunt, ut Medicus in tollendis iis longo tempore opus habeat, interim Singultus tam fortis, ut valde incommodus ſit ægro, in hoc caſu neglecta cauſa Medicinam noſtram tantum conferimus in tollenda ipſa Singultiva convulſione, quod aliquando ſatis feliciter fieri poteſt, ſicque Medicus poſtea tollendis cauſis operam dare debet.

In hac indicatione 1°. commendantur interne illa, quæ diluendo & obtundendo cauſam irritantem tollunt, ut aqua tepida, vel cui emollientia incocta ſunt, hæc ſi majori copia, & affatim bibatur, Singultum tollit, vel ſaltem ad tempus mitigat; dein etiam proſunt pinguia, aut ſubpinguia, veluti Emulſiones aqueo-oleoſæ ex hordeo ad crepaturam cocto, amygdalis dulcibus, ſemine papaveris albi, cucumeris, lini, lactucæ, & ſimilibus, dein juſcula pinguia, & non ſalita, mucilagines, decocta emollientia, vel ſola, aut ſyrupo vel ſaccharo admiſto, vel olea ipſa, aut quæ olei naturam habent, uti adipes, pinguedines, butyrum, certe multis in caſibus profuit oleum amygdalarum dulcium, olivarum, & id genus alia. Hæc inſigni quantitate aſſumenda ſunt, nam etiamſi per vomitum rejiciantur, hoc non nocet, hæc enim acrimoniam demulcent, fibras ventriculi laxant, & contractionem earum convulſivam impediunt. Neque ſuo effectu quandoque carent abſorbentia & ante-acida, ut Lap. Cancr. præparat. Corall. rubr. præparat. Bol. Arm. Terra Sigill. Margar. C. C. Uſt. vel Phil. præparat. Antim. Diaphor. ablut. &c. Externe convenit regionem epigaſtricam inungere Oleis ac balſamis roborantibus & nervinis, oleo Anethi, Nuciſtæ, Caſtorei, Oleo deſtillato Succini, Menthæ, Ruthæ &c. vel Emplaſtrum de Galbano Crocatum, aut de mica panis cum vino malvatico, vel ſpiritu vini, aut aqua Reginæ Hungariæ apponere; nonnulli amuleta hic etiam uſurpant, Caſtoreum ſcribit Trallianus collo alligatum cito Singultum ſanat, idem facit (inquit) cuminum, panniculo linteo inditum, & carpo ſiniſtræ manus alligatum: plura talia habet Trallianus, ſed ſuperſtitioſa ſunt.

Plurimarum etiam virium ſunt in compeſcendo Singultu anodyna, & opiata, quacunque forma exhibita, quæ miris laudibus extollun-

tur ab Etmullero Libr. 1. Prax. Sect. 14. Cap. 2. Art. 2. five fit Laudanum purum, vel opiatum, vel cydoniatum, vel in tinctura, vel laudanum liquidum Sydenhami, vel in pilulis, ut pil. de ftyr. vel de cynogl. aut etiam in compofitionibus majoribus, Theriac. Mithrid. Philon. Requie Nicol. Diafcord. Sylv. & Fracaft. (quod ultimum maxime placebat Sydenhamo in hoc cafu) his variis formis externe & interne uti poffumus, interim hic a lenioribus incipere poffumus, & primo exhibere lenientia ante-acria generalia, & mucilaginofa, Gummi Arabic. Tragac. radix, folia, & flores Altheæ, rad. Scorzon. Sifar. Confol. Bard. Herba Malva, Pariet. Verbafc. & fimilia, quibus addi poffunt capita papaveris, dein etiam addi poffunt olea preffa, lenia, aut fi fimplicius remedium defideramus, exhibeantur fola hæc capita papaveris, lacti incocta; fi autem hæc non fufficiunt, aut talia non velit æger, poffumus exhibere fyrupum papaveris rhœados, vel fi paulo fortius defideramus, fyr. papav. alb. dein adhuc fortius tinct. opii, laud. liq. Sydenh. aut ipfum opium in fubftantia: hæc cum appropriatis aquis fub forma mixturæ exhiberi poffunt: aquæ ftillatitiæ, quæ hic commendantur imprimis funt aq. flor. rhœad. til. pæon. menth. & fimiles.

Opiata omnia egregium habent ufum in tollendo Singultu, nam omnia acria temperant, omnes partes vellicatas pacant, fenfum irritationis tollunt, fomni dulcedinem alliciunt, dolorum lenimen præftant, verbo tumultus omnes fedant, verum in his exhibendis prudens Medicus requiritur.

§. 55.

Interim opiata hæc non multum placent Claro Hoffmanno, qui in compefcendo Singultu commendat leniora anti-fpafmodica, qualia funt Succinum, Cinnabaris, Crocus, Caftoreum &c. hæc fatis commendabilia funt, & fuo amico ftimulo nimiam fenfilitatem harum partium egregie corrigunt; poffemus hic ex confilio Etmulleri opiata fimul cum anti-fpasmodicis præfcribere, fic E. G. exhibere Laud. Liq. Sydenh. quod conftat ex opio, croco & aliis nervinis, quod etiam ab ipfo Hoffmanno commendatur. Laudat quoque Hoffmannus in hoc cafu liquorem fuum Anodyno-Mineralem, fed qua ratione hic liquor Singultum compefcat, & quibus viribus agat, ignotum eft, fuit enim ipfi remedium fecretum, videtur conftare ex fpiritu vitrioli & alcohole, certa proportione & certa ignis adminiftratione inter fe commixtis, hæc duo enim faciunt producta mirum in modum mutari, commendat Hoffmannus hunc liquorem vel folum, vel cum æquali quantitate tinct. caftor.

Denique ab omnibus auctoribus tanquam certum in Singultu compefcen-

pescendo remedium, quod nunquam fallit, commendatur semen Anethi, & ejus oleum, quod variis modis, & variis sub formis adhiberi potest. Usum decocti seminis Anethi inter alios miris laudibus extollit & commendat Forestus Libr. XVIII. Obs. 12. qui scribit, se ægrum Singultientem ab omnibus deploratum sanasse decocto seminis Anethi, Carui, Portulacæ & Papaveris albi in cerevisia tenuiori, ex quo decocto tantum cyathum unum bibens æger, miraculi instar præter omnium opinionem a Singultu curatus est: scribit tamen Sydenhamus, sibi sæpius evenisse, quod Singultum semine Anethi compescere non potuerit, tuncque usus est larga dosi Diascordii Fracastorii, scilicet ad ʒij. quod curat ratione Opii, quod ingreditur.

Postea vero sublato Singultu ipse morbus curandus erit, sive ille sit diaphragmatis, sive ventriculi, sive jecoris, sive aliarum partium cum diaphragmate communicantium; quandoquidem morbo remanente, vel ingravescente necessario continuo redibit Singultus.

Hæc sunt B. L. quæ de difficili hac materia, quam pro Specimine Inaugurali pertractandam mihi elegeram, pro ingenii tenuitate dicere decreveram: plura non difficulter addere potuissem, si plurimorum auctorum, hac de materia litigantium, opiniones recensuissem, verum conscius, illa, quæ nimis longa sunt, plerumque tædiosa esse, potius hic pedem figere, & huic dissertationi finem imponere volui. Interim B. L. si alicubi quædam minus accurate pertractata, vel rudiori stylo conscripta intercurrant, æqui bonique consulat, & solita sua humanitate corrigat, rogatum volo.

T A N T U M.

COROLLARIA.

I.

In Pleuritide & Angina, omnibus remediis incassum adhibitis, ultimum, & fere semper certum, tutumque refugium est Vesicatorium loco dolenti proxime applicatum.

II.

Simplicia Remedia Compositis præferenda sunt.

III.

Vomitum Vomitu curari non ubique procedit.

IV.

Signa Morborum ex sola urina petita, sæpe fallacia deprehenduntur.

V.

Febris plurimorum morborum sæpe optima Medicatrix, hinc non semper statim tollenda.

VI.

Medicamentum plurimis diversis morbis sanandis conveniens & hanc ob rationem fere Panaceæ nomine dignum, aliquando inventum iri spes est.

VII.

Plures morbi cognosci possunt quam curari, & major imperfectio Medicinæ est in defectu Medicamentorum, quam in cognitione morborum.

VIII.

Plethora non est sola causa fluxus Menstrui in Virginibus.

IX.

Excretio sanguinis Menstrui dignitatem sexus Fœminei non imminuit.

X.

Vitam continuo variare summum sanitatis adminiculum est.

XI.

Causa stupidi ingenii multorum hominum, ipsiusque fatuitatis perpetuæ haud infrequens est illa non toleranda libertas, qua mulieribus opiata a Pharmacopæis emere liceat, quibus morosos infantes sopiant.

XII.

Dolor & Voluptas gradu tantum differunt.

XIII.

Nuptiæ Virginibus Valetudinariis non raro remedii loco conducunt.

XIV.

Mortui Fœtus signa dubia omnia & incerta sunt, nisi ubi Epidermis secedit de Calvaria.

FINIS.